


De oneribus biblicis contra gentes

Charles Rohart

DE ONERIBUS BIBLICIS
CONTRA GENTES

THESES INSULENSES
AD DOCTORATUM
IN SACRA THEOLOGIA
nº 8.

DE ONERIBUS BIBLICIS
CONTRA GENTES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CUM XX THESIBUS SUBNEXIS

FAVENTE CHRISTO DEO

ATQUE ANNUENTIBUS ILLUSTRISSIMIS VIRIS

RR. DD. EDUARDO HAUTCŒUR

ARCHIGYMNASII CATHOLICI INSULENSIS CANCELLARIO

DOMUSQUE PONTIFICALIS ANTISTITE

ET RR. DD. LUDOVICO BAUNARD

EJUSDEM ARCHIGYMNASII RECTORE

DOMUSQUE PONTIFICALIS ANTISTITE

CAROLUS ROHART

SACERDOS ATREBATENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ LICENTIATUS

ATREBATENSIS ACADEMIÆ SOCIUS

ET IN FACULTATE THEOLOGICA INSULENSI

SACRÆ SCRIPTURÆ LECTIONIBUS DEPUTATUS

AD DOCTORATUS LAUREAM CONSEQUENDAM

INSULIS PUBLICE PROPUGNABIT

IN AULA ARCHIGYMNASII MAXIMA

ANNO MDCCCXCIII

DIE XXII JULII

HORA ANTE MERIDIEM IX.

PIAE · MEMORIAE

CLARISSIMI · DOCTORIS · ET · SACERDOTIS

ALOYSII · FLORENCE

IN · ARCHIGYMNASIO · CATHOLICO · INSVLENSI

SCIENTIAE · BIBLICAE · PROFESSORIS · ORDINARII

MAGISTRIQVE · MEI · ET · AMICI

ET · COLLEGAE · OPTIMI

QVEM · NE · HVIVS · THESEOS · DEFENSIONEM

PRAESENTIA · SVA · DECORARET

MORS · INFAVSTISSIMA · PROHIBVIT

EGO · CATHEDRAE · IPSIVS

EHEV · NON · SCIENTIAE · HAERES

ISTAM · VOLVI · OPELLAM · DICATVM · IRI

AMORIS · ET · DESIDERII · CAVSA

AVCTOR.

Dissertationem inauguralem de *Oneribus Biblicis contra Gentes*, thesesque XX de re theologica subnexas, a reverendo sacerdote CAROLO ROHART, Atrebatensi, Sacræ Theologiæ licentiato, in Facultate Theologica Insulensi Sacræ Scripturæ lectionibus deputato, ad *Doctoratus* lauream sibi comparandam propositas, tres ejusdem Facultatis doctores legerunt et typis mandari posse censuerunt.

Ex Archigymnasio Catholico Insulensi, die III Julii, anno Christi MDCCCXCIII.

H. MOUREAU,
Facultatis theologicæ decanus.

Vidit Rector Archigymnasii.
BAUNARD.

IMPRIMATUR :

Turcundii, die XI Julii, anno MDCCCXCIII.

† **MARIA ALPHONSUS,**
Archiep. Cameracen.

PROŒMIUM

Apud omnes gentes, etiam minimas aut antiquissimas, historici libri inveniuntur : summi enim momenti cura ubique apparet præteritarum ætatum memoriam, tum ad laudes majorum extollendas, tum ad futuras clades præcavendas, asservandi. Præterea, non minus insigni studio flagrat homo, ut quæ spatium aut tempus obtegere solent, præsensione quadam perspicere valeat. Exinde ars divinatoria, seu μαντική, *ubique terrarum floruit. Jam vero, quia Biblia opus esse divinum, ab hominibus et humano more exaratum, cuique catholico viro constat, non mireris quod in iis duplicem eam mentem reperias quæ statim relata est, sive quod ad præteriti temporis notitiam, sive quod ad futuri præcognitionem spectat.*

Amplior sane est utraque hujusce scientiæ provincia quam ut eam simul perlustrare possimus ; necesse ergo habuimus, in hoc studiorum nostrorum documento, limites ita circumscribere ut nec

2

infiniti, nec curtiores simus. Ideo prophetiis præsertim incumbimus, ita tamen ut non semel eas ex historiæ tutela explicare satagamus. Ne quis tamen putet prophetias de quibus agemus cum profanis vaticinationibus confundi. Prophetæ enim, Deo positive inspirante et revelante, loquuntur; vates contra, sive ex propriæ mentis viribus, sive etiam ex diaboli suggestionibus, conjiciunt.

Hæc autem prædictio futuri casus et contingentis eventus, ex revelatione divina, revera possibilis est. Sane, rationalistarum sensu, testatur prophetismus in historia Israel viros ingenio et perspicacitate eximios summa auctoritate fuisse, nihil autem ibi inveniri, quod mere naturalem potestatem exsuperet : aliæ enim prophetiæ authenticæ sunt, et genuinam prophetarum sagacitatem aut incerta eorum erga Messiam studia probant; aliæ, nullimode authenticæ, adeo dilucidæ sunt aut ultra humanam vim ita extolluntur, ut post eventum adinventæ dicendæ sint. Nos vero contendimus eam quæstionem ad hanc reduci : utrum revera possit Deus futura et occulta prævidere hominibusque manifestare, necne : quod cuique catholico theologo et critico nullum dubium affert.

Quod autem prophetia non solum possibilis fuerit, sed revera exstiterit, pro modulo nostro ostendere nunc conamur. At vero, ita ingens est prophetismi campus, ut materiam iterum restringere necesse

sit, inter varia prophetiarum genera quæ infra declarabuntur.

Cur autem prophetias adversus Gentes enucleandas potius elegerimus, triplex præcipua ratio explicat. — A) *Veteris Testamenti cognitio ex inventis ægyptiacis assyriacisque documentis adeo illustrata est nostris temporibus, ut sæpe sæpius quasi de novo instauranda sit; imprimis vero in prophetas qui ad assyriacam et babylonicam ætatem pertinent, et in eorum textus quibus Gentes impetuntur, magnum exinde et insperatum lumen diffusum est.* — B) *Præterea nulla est forsan Bibliorum pars quæ magis rationalistarum impugnationibus lacessita sit, præsertim quum ex supradictis adjumentis debilitatæ eorum theoriæ singulis fere annis evanescunt et aliis locum cedunt, brevi similiter perituris.* — C) *Accedit demum consilium eas coadunandi prophetias, quas nullibi uno quasi tenore consideratas invenimus, et exinde momentum earum synthetica explanatione demonstrandi.*

Nec nos ceterum fallunt hujusce propositi impedimenta, quorum tria gravissima fateri libet. — A) *Veterum sacræ Scripturæ interpretum commentarios in nostra materia, prorsus, ut diximus, renovata, directe consulere vix prodest : ubi enim aliquando, sæpe sæpius infeliciter, insudarunt, minimus hodie laterculus nodum expedit et olim congestas rationum series diruit; illorum sane opi-*

niones cum recentissimis conferre juvisset, nisi diutius in inquisitione morari repugnasset. — B) *Etsi permulta, ex documentis nuperrime repertis, cognoscere fas sit, plura tamen obscura manent, sive quia nonnulla ex monumentorum investigatione minime explanantur, sive quia prophetiæ natura nubilum necessario secum trahit; adhuc igitur stat classicorum fontium auctoritas, donec præsenti sæculo adinventos thesauros futurorum temporum fortuna adaugere valeat.* — C) *Non poterit tamen in posterum solvi intrinseca difficultas, quam latinæ linguæ usus, ut exponantur res, mores et exuviæ totius Orientis, transferanturque de verbo ad verbum inscriptiones aliquando subobscuræ, necessario secum trahit : quæ benevolo lectori declarare non diffitemur, haud tam de sermonis elegantia quam de veritate rerum solliciti.*

Ut autem hoc opusculum, non tam propriis viribus congestum, quam ex laudatissimis ævi nostri criticis haustum, — quales sunt clari viri Lenormant, Babelon, Oppert, Vigouroux, Meignan, Delattre, Rawlinson, Sayce, Budge, Schrader, Knabenbauer, — logice dividatur, materia non sinit. Post prævium ergo caput in quo generales traduntur notiones de Oneribus *contra Gentes et de tempore quo prolata sunt, consideramus ea quæ, juxta seriem imperiorum et victoriarum, ad Ægyptum, Niniven, Babylonem, Tyrum et Sidonem pertinent. Adeo autem*

commiscentur sacra profanis, ut utramque historiam simul evolvere necessarium, anaglyptorumque et laterculorum imagines inserere opportunum, hodiernumque orientalium regionum statum ex proprio cujusdam peregrinationis nostræ diario effingere jucundum existimaverimus.

Gratus tandem animus, postquam debitum dilectissimi patris memoriæ tributum solvit, nos movet ut, inter ceteros quos adivimus fontes, illis etiam laudem deferamus qui consiliis, doctrina et tutela hanc nostram operam germinare et florere voluerunt, quique addictissimum quondam discipulum suis jam laboribus adsciscere dignati sunt. Eis igitur qui sacræ Theologiæ Facultatem et Archigymnasium Catholicum Insulense sua scientia decorant, quidquid pretii in his pagellis repperiri potest, toto corde imputamus.

Scribebam Atrebati, in tutelari festo Visitationis B. M. V., die II Julii, anno MDCCCXCIII.

NOTA

Litterarum orientalium, ex variis linguis, quas huic operi inseruimus, usus nobis concessus est benigno parisiensis Reipublicæ Typographei favore.

Effigies, solis lumine depictæ et impressæ, ex orientali Britannici Musæi thesauro eductæ sunt.

DE ONERIBUS BIBLICIS

CONTRA GENTES

CAPUT I

Conspectus generalis Onerum Biblicorum contra Gentes.

I. — Etsi nobis nullimode tractatus generalis de prophetia exarandus sit, attamen memorare juvat prophetiam, stricto sensu sumptam, nempe prædictionem futuri casus aut eventus contingentis ex revelatione divina, tripliciter quoad objectum dividi posse. Ex tota enim judaici populi historia constat primarium prophetarum munus fuisse, ut fœdus mosaicum conservarent ac tuerentur, novum vero fœdus, per Messiam instituendum, præpararent; unde nil mirum si prophetiæ fere integræ circa populi judaici sortem ipsiusque futuram redemptionem per Christum venturum versentur. Hisce tamen prædictionibus commixta passim

invenire est oracula, quæ non jam cum populo electo, sed cum externis gentibus agunt. Unde merito triplex objective prophetiarum genus nobis apparet, quæ nempe judaicæ, messianicæ et ethnicæ vocari possunt.

Istæ vero ultimæ, de quibus nobis disserendum erit, peculiare sæpius nomen, plane significativum, a sancto Hieronymo acceperunt, *oneris* nempe titulum, qui ipsarum naturæ et objecto perfecte concordat (1) : « Verbum hebraicum מַשָּׂא vel onus, vel pondus intelligi potest, et ubicumque præpositum fuerit, minarum plena sunt quæ dicuntur; unde miror LXX translatores in re tristi voluisse ponere visionem (2). »

II. — Prophetias igitur contra Gentes evolventi, priusquam earum seriem exponat, necnon eas ad effectum adductas esse demonstret, occurrit quæstio de ratione horum Onerum agitanda. Dum enim prophetæ tanquam excubitores apparent, qui super Jerusalem vigilias agunt, aut de turre longe prospicientes contra imminens periculum ipsam monent, aut per pascua velut ovem Israel ducunt, et infidelem populum per minas et promissa ad meliorem frugem revocant, una voce ad populum electum ipsumque

(1) De vero sensu vocis מַשָּׂא in titulis oraculorum non concordant auctores. Alii nempe de mero effato et de simplici sententia vocem illam interpretantur (Gesenius, *Thesaurus*, ad hoc verbum) Rectius tamen cum versione Chaldaica, Syriaca et Aquilæ, verbum מַשָּׂא *Onus* explicatur, cujus notio colligitur præcipue ex II Reg., ix, 25, ubi usurpatur de decreto divino contra Achab : וַיהוָה נָשָׂא עָלָיו אֶת־הַמַּשָּׂא הַזֶּה Divinum enim effatum tanquam onus grave in illum incumbit, quem Jehovah toto suo pondere premit. Cf. IV (II) Reg., v, 17; viii, 9; II. Chr., xxxv, 3; Is., xlvi, 1, etc.... ubi sub hac voce oraculum molestum ac minax invenitur. Ita Hengstenberg, *Christologie*, tom. II, p. 102.

(2) S. Hieron., *Prologus ad Hab. et ad Is.*, xiii, 1.

solum missi esse videntur (1), quædam contra externas nationes vaticinia in ore prophetarum inveniri mirum forsan primo aspectu habeas.

Attamen, si rem penitius perscruteris, Gentiumque munus erga Judam et eorum mutuas relationes contempleris, harum prædictionum causa te jam non fallet.

III. — Si enim variis nominibus, quibus prophetæ designantur (2), attendas, jam plane constat præcipuum munus propheticum non in eo solum modo situm fuisse ut futura prædicarent : primarium enim ipsorum officium erat docere populum eumque in veri Dei cultu retinere, ac proinde ipsum arguere et objurgare (3).

Quum vero populum, dura cervice præditum temporalibusque bonis vel pœnis præcipue commovendum æstimarent, eum ad Legem stricte observandam per promissa vel minas hortabantur. In hoc tota sita est prophetica prædicatio, ut populum verbis et factis edocerent suam erga Deum fidem unicam esse salutis rationem : melior est enim obedientia quam victima.

« Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis Gentibus... ; venientque super te

(1) Cf. Zschokke, *Theologie der Propheten des Alten Testamentes* p. 354 sqq.

(2) Cf. Rohart, *Theses Theologicæ*, thesi vii, p. 15.

(3) Becanus, *Analogia Veteris ac Novi Testamenti*, cap. viii, quæst. ii : Quodnam erat officium prophetarum in V.T. ? — Cornely, *Cursus Script. Sacræ*, Introductio, ii, 2, p. 271.

universæ benedictiones istæ et apprehendent te.... Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui... venient super te omnes maledictiones istæ (1). » — « Si in præceptis meis ambulaveritis,... dabo pacem in finibus vestris... respiciam vos et crescere faciam.... Quod si non audieritis me, ponam faciem meam contra vos et corruetis coram hostibus vestris (2). »

Unde quotiescumque legem Domini deserebat populus electus, statim fame, bello et peste pœnas pendebat. Dum vero sub potenti manu Dei premeretur, nonne de fato suo forsan queri Dominumque injuriæ insimulare potuisset, quod exteras nationes impietati, idololatriæ variisque criminibus deditas gloria et honore cumularet (3)? Ne igitur hæc prophetis, populum objurgantibus, objicerentur prosperaque sors Gentium contra divinam gentis electæ vocationem rectamque Dei gubernantis providentiam et justitiam pugnare videretur, necesse erat et ipsarum Gentium futura *onera* revelare, utpote quæ per transennam et ad Dei nutum caduca gloria frui possent, sed tandem suæ impietatis pœnam luerent. Vaticiniis ergo contra Judam adjungendæ erant prædictiones contra ethnicos populos, ut Dei justitia clarius appareret atque præcaveretur invidia Judæorum adversus prophetas objurgantes (4).

IV. — Observandum quoque nobis placet, tunc

(1) Deut., xxviii, 1, 2, 15.

(2) Levit., xxvi, 3, 6, 9, 14, 17. Cf. Deut., xix., 8, 9; Thr., ii, 17; Baruch, i, 20; Mal., ii, 2.

(3) Œhler, *Theology of the Old Test.*, vol. II, § 217, p. 362.

(4) Vigouroux, *La Bible et les découvertes modernes*, 1882, tom. iv, p. 321 sqq.

plures et explicitiores adesse hujusmodi prophetias, quum populi pagani arctius israeliticam gentem opprimunt, augerique minas in nationes illis funestis temporibus, quibus captiva luget Judæa. Exsultabat enim paganismus, quotiescumque vincebant pagani, quippe qui idolis suam vindicarent victoriam et adversam Judæorum fortunam Jehovæ attribuerent. Nec nobis desunt Bibliorum testimonia, quibus innotescit victorum arrogantia, qua regionis subditæ fidem et pietatem irridere non diffitentur : « Ne forte dicant in Gentibus : ubi est Deus eorum (1) ? » — « Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos (2). »

At voce prophetarum iis desperatis temporibus, quibus clades omnium mentem deprimebat, quodam modo spes et solatium gignebantur. Hæc enim ingentia imperia, quibus orbis vastabatur, post triumphos et impii gaudii deliramenta jam proximam ruinam et occasum ex propheticis libris audiebant. Eo ipso momento quo ejus auxilium in dubium revocari poterat, divina Providentia populum magis erigebat (3). Nonne Jeremiæ statim ante captivitatem verba facientis, Ezechielis et Danielis, qui inter captivos scripserunt, prophetiæ optimum sunt documentum, quo apparet Jehovah attingens « a fine usque ad finem fortiter (4) ? »

V. — Sed non hoc tantum puncto constat omnis ratio prædictionum contra Gentes.

(1) Ps. LXXVIII, 10.
(2) Ps. LXXIX, 7.
(3) Davidson, *On Prophecy*, p. 217 sqq.
(4) Sap., VIII, 1.

Munus enim prophetarum amplius jam extendebatur, siquidem ab ipsis monendus erat populus Dominum, etsi Israelitas in filios adoptionis elegerit, nihilominus Deum ac Dominatorem totius orbis esse, cunctisque Gentibus Messiæ salutem patere (1). Etsi enim nonnulli in contrariam sententiam iverint, nimia illa sui existimatio qua Pharisæi regni divini monopolium, ut ita dicam, sibi arrogabant, nullatenus quasi genuina Veteris Testamenti doctrina reputanda est. Sane Jeremias in eas invehitur Gentes quæ Deum non cognoscunt, eas vero non quatenus exteræ sunt, sed quatenus Jacob impugnant, convitiis premit (2). Immo, quum Malachias profert Domini amorem in Jacob et odium in Esaü, nedum *ante prævisa demerita* maledicat, statim addit Idumææ fines terminos impietatis esse (3).

Hoc ergo prophetis tribuebatur munus, ut universalem cuilibet bonæ voluntatis homini, ne paganis quidem exclusis, salutem sponderent — quod ita exsecuti sunt ut semel et iterum eo sensu Gentes confortare studuerint. Nonne scient Deum Israël ipsarum Deum esse (4)? Ægyptus Jehovam cognoscet et quinque civitates linguam ejus loquentur. — « In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti et titulus Domini juxta terminum ejus.... Et cognoscetur Dominus ab Ægypto et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa; et colent eum in hostiis et in muneribus; et vota vovebunt Domino

(1) Zschokke, *Op. cit.*, tom. II, 2 p. 566 sqq. — Cornely, *Op. cit.*, p. 272 sqq. — Œhler, *Op. cit.*, tom. II, p. 398 sqq.

(2) Jer., x, 25.

(3) Mal., i, 2, 3, 4.

(4) Ez. xxv, 5, 7, 11, etc.

et solvent.... Benedictus populus meus Ægypti et opus manuum mearum Assyrio (1). »

Quum ægyptiaca potestas ceciderit, tunc purissimæ aquæ ejus reddentur (2), et post statutam desolationem, si eruditus populi israelitici vias didicerit, unusquisque reducetur vir ad hæreditatem et terram suam (3). Populi venient ad montem Sion judicare montem Esaü et erit Domino regnum (4). Rex Israel sceptrum suum super universum orbem extendet. « Loquetur pacem Gentibus et potestas ejus a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terræ (5). » — « Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum (6). » Universæ Gentes, quæ jampridem venerant contra Jerusalem, ascendent nunc ut adorent Regem, Dominum exercituum (7), eique sua munera deferent (8) in pignus suæ servitutis (9). Filii advenæ, qui adhærebunt Domino ut colant et diligant eum, habebunt partem in hæreditate et locum in domo paterna (10).

Ita prophetæ apud proprios cives illis studiis obsistebant, quibus Judæi religione sua, tum in præsens, tum etiam in posterum, ceteris populis interdicere conabantur; ita se servos et ministros Dei profitebantur, qui in Abrahæ genere omnes Gentes terræ benedicturus erat; ita demum salutem *ex* Israel, non vero *erga* solum Israel universo mundo prædicabant.

(1) Is., xix, 19, 21, 25.
(2) Ez., xxii, 14.
(3) Jer., xii, 14, 17.
(4) Abd., 21.
(5) Zach., ix, 10.
(6) *Ibid.*, ii, 11.
(7) *Ibid.*, xiv, 16.
(8) Is., xviii, 7.
(9) *Ibid.*, xiv, 2.
(10) *Ibid.*, lvi, 6, 8.

Hinc *catholici* aliquatenus evaserunt prophetæ (1), iis rerum et temporum adjunctis, quibus « in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum (2). » Jehovah enim, illis auctoribus et testibus, non cuidam seorsim genti favet, falsorum deorum instar, sed vere Deus et Magister totius universi apparet; omnia novit, omnia movet; de omnibus, remunerator aut vindex, judicat, et ultima ratio regum populorumque, decursu sæculorum, apparet. Hinc exteræ Gentes summi Judicis instrumenti vices gerunt et ita moventur a Deo, ut licet temporaneum regnum ejus in terra impugnent, post propriam eversionem, salutem et benedictionem a Domino consecuturæ sint.

Ea est, præclare quidem inchoata et adumbrata, mens prophetarum quæ Messiam veluti principium et centrum et finem totius historiæ profitetur et extollit. Christus igitur apud illos tunc et in sæcula erit, cujus nomine omnis creatura salva fiet. Hunc autem supremum finem nulla creatura est quæ consequatur, nisi post multos labores et per varias fortunas, quorum quasi exitus et conclusio pax finalis erit. Unde necesse erat ut prophetæ non solum gestarum a Gentibus rerum exitum aut casum notum facerent, sed etiam culpas quæ tardarent benevolentiam Dei et calamitates quæ necessario instarent delinquentibus, expromere possent. Anathemata simulque cœlitus promissa beneficia non proferre non valebant prophetæ, quibus *Onera* adversus Gentes mandata erant proposito, ut revelatio sub clariore lumine integra evaderet.

(1) Knabenbauer, *Stimmen aus Maria Laach*, 1880, xviii, p. 274.
(2) Ps., xviii, 5.

VI. — Si rem alio sub respectu conspiciamus ipsumque ad *prophetismum* attendamus, Onera adversus Gentes non minus opportuna videntur. Quovis enim tempore, plurimi fautores divinationi addicti fuerunt, seu rerum civilium scientia tanti ponderis instrumentum præcidere nollet, sive ars ceteros decipiendi sibique famam aut nummos acquirendi dolo totas immitteret habenas : adeo cuivis homini innata insidet cupido futuros eventus dignoscendi (1). Israel autem ab ista divinatione quasi ab insidiis paganorum abstinere jubebatur. Lex enim magicos ritus prorsus prohibebat : « Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini (2). » Atqui optimum adversus magos argumentum Scriptura profert, quum ridiculis illis mediis omniscientia Jehovæ, vel quoad eventus qui ad Gentes ipsas superstitioni deditas spectant, opponitur : « Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt; tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es (3). »

Præterea vanæ divinationis artes non strictis terræ Chanaan finibus circumscribebantur. Augures enim apud vicinas gentes jam florebant; immo Ægyptus (4), Assyria, Babylonia (5) ipsam superstitionem in doctrinam certis regulis et incantationibus constitutam vertere parabant. Hæc somnia rectius confutare nemo poterat quam propheta, qui pro deliramentis aut tene-

(1) Kitto, *Cyclopædia of Biblical Literature,* art. *Divination.*

(2) Lev., xix, 31.

(3) Deut., xviii, 14.

(4) Thornley Smith, *History of Joseph,* p. 151 sqq. — Wilkinson, *Manners and Customs,* vol. II, p. 143 sqq.

(5) Lenormant, *La Magie chez les Chaldéens et la divination.— La science des présages chez les Chaldéens.* — J. Halévy, *Documents religieux de l'Assyrie et de la Babylonie.*

bris oraculorum verbi inspirati veritatem substitueret. Sic melius irrita faciet Deus « signa divinorum...; convertens sapientes retrorsum et scientiam eorum stultam faciens (1). »

VII. — Ipse geographicus Palæstinæ situs non spernendum est documentum ut prophetiarum adversus Gentes explicetur œconomia.

Sane ita segregabatur a ceteris vel vicinis gentibus regio Chanaan, ut eam facillime et aptissime ad servandum revelationis thesaurum Deus prædestinaverit (2). Illum secessum, qui in ipsis Legis præceptis inscribebatur, expediebat situs terræ, quam septentrionem versus montes Libani, orientem versus desertum Arabiæ, meridiem versus Idumææ colles cingebant, dum Mediterraneo mari et arcibus hostium quæ littus muniebant ad occidentem, claustra perficiebantur. Erat ergo, teste Isaia, vinea conclusa quam sibi septam nimia dilectione plantaverat Jehovah (3), ita ut ipsa natura judaicum populum cum fine a Deo intento seorsim aptaverit.

At depositum illud Judæis servandum non tradebatur nisi ut in posterum per totum orbem diffunderetur. « In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum (4). »

Decebat ergo ut statutis temporibus terra promissionum quasi centrum fieret ad quod ex omnibus orbis

(1) Is., XLIV, 25.

(2) RITTER, *Erdkunde*, XV, 1, p. 11. — ŒHLER, *Op. cit.*, tom. I, § 33, p. 122. — CHAMPAGNY, *Les Césars*, tom. III, p. 3 sqq. — VIGOUROUX, *Manuel Biblique*, 3e édition, tom. II, n° 345.

(3) Is., V, 2.

(4) Ps. XVIII, 5.

partibus plurimæ viæ, quasi radii, properarent. Nulla autem regio aptius quam Palæstina illo munere fungi poterat, utpote quæ inter cultissimas gentes apud quas antiquorum temporum historia effluxit, media jaceret : « Ista est Jerusalem : in medio Gentium posui eam et in circuitu ejus terras (1). »

Hinc, duplici et contrario respectu, terra Chanaan summopere seclusa fuisse apparet, simulque maxime idonea ut consuetudines hinc cum Assyria, Arabia et India, illinc cum Ægypto, Græcia et Italia faceret (2), tum quod ad civilium rerum, tum quod ad mercaturæ commercium attinet. Creberrimi enim populorum terra marique aditus per Palæstinam efficiebantur : eam primo trajiciebant mercatorum comitatus inter australem Arabiam, Asiam et Ægyptum iter facientium, aut saltem per ejusdem littora a Damasco in Phœniciam, Philistæam et Africam incedebant; dein, vel antequam Judæa, maritimos rerum commeatus non jam aspernata, Cæsareæ portum conderet, quo ad occidentales partes propius accederet (3), Palæstina quasi pons inter summa Orientis imperia interjectus apparet.

Immo sola via (4) qua clarissimi veteris orbis æmuli ad invicem congredi poterant, sive Assyria in Ægytum descenderet, sive Ægyptus ad Niniven ascenderet, præter littora chananæa ibat. Campus Mageddo, qui inter extremas regiones fere medius interponitur, quasi arena fuit in qua Asiæ et Africæ

(1) Ez., v, 5. Cf. xxxviii, 12.
(2) Ritter, *Op. et loc. cit.*.
(3) Champagny, *Op. et loc. cit.*
(4) *Corpus Inscript. Semit.*, part. II, fascic. I, p. 5.

exercitus de suprema orientali potestate bellum non semel profligaverunt. In hoc campo, quem flavescentibus messibus florumque variatis coloribus nitidum nuper admirabamur (1), late patet prospectus, usquedum montibus Samariæ et Gelboë, collibusque Nazaræis et Carmeli jugis undecumque prohibeatur. Hic Thoutmes III conjunctos Syriæ milites fudit. Hic obrutus est Josias a sagittariis Nechao, qui Charcamide ad Euphraten pugnaturus erat; hic Romani Parthas, hic Mahumetanos cruce signati milites devicerunt. Sane inclyta nimis illa via non mediæ regionis parti interjiciebatur; eo tamen ipso quod Palæstinæ proxima erat, perpetuum instabat periculum incolis, qui non solum profligatorum populorum cædes ad se aliquatenus recidere videbant, sed imprimis iter prospiciebant quo ipsi sive a septentrione, sive a meridie incursum paterentur. Propterea prophetis munus erat vigilibus oculis omnia cir-

(1) « 8 Mai 1890.... Il est une heure. Je viens de faire halte à Djennin, qu'enveloppe une gracieuse ceinture de cactus et de palmiers : la chaleur du plein midi me retient à l'ombre d'un épais sycomore. J'y voudrais séjourner et rêver plus longuement en face de ce tableau aux teintes dorées, aux lumières éclatantes, aux verdures délicieuses. Mais Achmed me presse : il faut se remettre en selle pour atteindre Nazareth dans la nuit. Me voici donc à l'entrée de cette grande plaine de Mageddo. Quel spectacle! Quels souvenirs! A ma gauche se déroulent jusqu'au Carmel les ondulations des montagnes de Samarie. A droite, c'est Gelboë, le petit Hermon; plus au fond, le Thabor. Devant moi et à mes pieds s'étend un immense tapis de gazon, émaillé de fleurs multicolores, où se jouent en bonne intelligence alouettes légères, tourterelles langoureuses, tortues guillerettes et agiles. Plus rien du bruit des combats antiques. Et pourtant c'est là que s'est résolu en maintes batailles le sort des plus puissants empires de l'Orient. C'est là que l'Égypte luttait contre l'Assyrie, que Juda s'insurgeait contre Ninive. C'est là que tombèrent les forts d'Israël, et que la mort frappa, du même coup, Saül et Jonathas.... Aujourd'hui c'est le calme, le silence, la solitude. Seule la nature, par un heureux contraste, est souriante et aimable.... » *Journal de voyage.*

cumspicere, et maledicta in eos congerere qui nunc finium pacem, mox ipsius patriæ vitam vastationibus perturbarent.

VIII. — Etsi, physici situs habita ratione, exterorum eventuum conditione minus quam aliæ gentes Palæstina moveretur, civilium tamen rerum cura non adeo libera erat ut in ipsum regnum Judæ vicinarum potestatum conditio non maxime valuerit; hinc, ut sensus prophetiarum adversus Gentes penitus intelligatur, necesse est investigare quis mentium et potestatis apud Judæos fuerit status, quum prophetismus, degente Isaia, præstantiore modo vigeret.

Circa enim Isaiæ tempora, civilis Asiæ occidentalis habitus prorsus evolvitur et ab antiquis viis recedit. Quum Isaias prophetizare incipiebat, talis adhuc immota permanebat ea regio, qualis integro decursu sæculorum fuerat; multis constabat civitatibus, quarum unaquæque, vel satis valida, ceteras neque cuperet, neque posset absumere. At decursu octavi ante Christum sæculi, regnante Teglathphalasar, de novo surrexit assyriacum imperium, recens quidem, sed ita strenuum ut supremum dominium in reliquos Orientis populos sub unius regis tutela sibi comparare studeret (1).

Circa finem regni Jeroboam II, videtur primum Amos socordes Judæos monuisse ut illius populi, cujus gesta mox evulgabuntur, propositis non mediocrem diligentiam adhiberent. « Ecce enim suscitabo

(1) Sayce, *The Times of Isaiah*, p. 78 sqq. — Driver, *Isaiah: his Life and Times*, p. 6.

super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem : et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti (1). »

Hujusmodi autem consilia vix perspicere poterant qui rem publicam in regno Judæ gubernabant. De Assyria enim hucusque pauca vel nihil omnino audierant. Demum bella mediocria satis cum Philistæis et Edomitis, aut aliquibus regibus Israel gesserant, quæ ipsius gentis libertatem, vel si infaustissimæ clades accidissent, nunquam in discrimen vocavissent. Quum ipsa Hierosolyma a rege Joas capta fuisset, nihil exinde grave secutum fuerat, præter palatium direptum et civitatis mœnia hinc inde eruta; cum gentibus æmulis copiisque fere paribus dimicabant, ita ut æqua lance modo vincerent, modo vincerentur. Deinde vicinum imperium, quod unum potestate et vi terrorem Palæstinæ incutere valeret, ægyptiacum nempe, memoria, non re et gestis, tunc validum habebatur; immo commeatuum commodis urbanisque incolarum moribus benignos Judæorum animos sibi conciliaverat.

Subitus igitur Assyriorum impetus attonitos Judæos fallit, nedum Israelem et Judam terreat. Duo enim regna vicissim cum invadentibus fœdus feriunt, non ita ut summum horum pactorum momentum penitus intelligant, sed ut tali vel tali sectæ et factioni faveant. Hinc Manahem, ut sese ex belli civilis tumultu eripiat, regis Phul (2) auxilio

(1) Amos, vi, 15.

(2) Etsi de illo rege Assyriæ, Israeliticum regnum sub Manahem invadente (IV Reg., xv, 19-20), disserendi locus non sit, opportunum tamen videtur multifarias indigitare quæstiones ortas de eo principe assyriaco, qui primus suo nomine in Bibliis designatur et aliunde nullibi in ins-

fretus, solium suum maxima pecunia (1), invito propheta Osea (2), tutatur. Hinc, paucis elapsis annis, hierosolymitanum regnum iisdem vestigiis ingreditur, quum Achaz rex ad Teglathphalasar nuntios mittit, qui dona tradant Assyriorumque auxilium adversus Phacee et Razin socios impetrent : « Servus tuus et filius tuus ego sum; ascende et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israel, qui consurrexerunt adversum me (3). » Utrum male accepti nuntii, exortumque syriacum bellum deletaque Damascus regem Achaz adverterint necne, ex historia non constat; novimus tamen ipsum inter subditos et tributarios principes in inclyto Teglathphalasar catalogo connumerari, *Ya-u-ḥa-zi mât Ja-u-da-ai* (4) (Achaz ex terra Juda), ejusque filium Ezechiam, paternæ deditionis hæredem obstare non potuisse quin Assyrii potestatem suam firmarent judaicisque rebus ulterius commiscerentur.

criptionibus *cuneiformibus* reperitur. Dum enim Assyriaci textus nonnullos Samariæ principes Achab, Manahem, Phacee, Osee, commemorant ipsique soli Teglathphalasar assignant quidquid ab auctore sacro de Phul prædicatur, nulla hujusce regis mentio Niniviticis annalibus traditur. Unde ad hanc interpretatorum crucem sublevandam duplex profertur theoria, una nempe qua Phul a Teglathphalasar distinguitur, altera vero quæ hisce duobus nominibus unam eamdemque personam designari autumat. Quamvis vero priorem sententiam insignis notæ viri, quales G. Smith, G. Rawlinson, et inclytus ille noster J. Oppert tueantur, fundamentum tamen satis solidum huic opinioni desideratur. Alteri igitur potius favendum esse videtur, quæ Phul cum Teglathphalasar eumdem esse declarat. Hanc thesim longiorem quam ut hic evolvi possit, luculentissimis munitam argumentis, undique depromptis, invenire est apud Vigouroux, *La Bible et les découvertes modernes*, tom. IV, ch. VII, *Phul, Teglathphalasar*, p. 81 sqq. — Cf. etiam *Revue des Sciences Ecclésiastiques. Phul et Teglathphalasar,* auctore pseudonymo P. Hermann, Juin 1385, p. 522.

(1) IV (II) Reg., XV, 19 sqq.

(2) Os., V, 13; VII, 11, 12; VIII, 8, 9; XII, 1.

(3) IV (II) Reg., XVI, 7.

(4) *Western Asiatic Inscriptions* (W. A. I.), tom. II, tab. 67, lin. 61.

At assyriacæ factionis favor, instante periculo, mox imminutus est : Judæis enim, post dirutam Damascum et Samariam, Arphad et Emath, manifestum fiebat se ex Assyriorum fœdere in servitutem sensim sine sensu deduci. Deo et prophetæ verbis innixus, Ezechias Assyriorum sectam deseruit : « Rebellavit quoque contra regem Assyriorum et non servivit ei (1). » Jam imminebat dira pœna, direptio nempe urbis Hierosolymæ, quum ipse Jehovah nocte totum Sennacherib exercitum evertit (2) : uno nempe ictu ruebat assyriaca factio.

Aliunde non adeo faustus et benignus fuerat illorum animus, qui secundum assyriacum imperium condiderant, ut supremum suum dominium in ceteras gentes de facili stabilirent : non enim in unam coadunabantur gentes, quas solis belli viribus devicerant, quæque diversissimis elementis constabant; poterant sane incolas hinc illinc relegare, tributarios satrapas in locum regum sufficere; vincebantur regiones, non in amicitiam attrahebantur populi. Quod ab Assyriis providenter et caute fuit observatum. Postquam enim Sargo et Sennacherib imperii fines protendere, mentemque Teglathphalasar ad effectum adducere studuerant, omni ope atque opera nixus est Assaraddon ut quæsita bello pace firmaret, propitia erga devictos voluntate esset, eisque libertatem quamdam suppeditaret, ut populi revera genuini remanerent; hinc eis licuit cultum, mores, immo et gerendæ rei publicæ formam servare, non assyriacis satrapis, sed propriis regibus subdi. Etsi Manasses, rex Juda,

(1) IV (II) Reg., xviii, 7.
(2) IV (II) Reg., xix, 35.

« Magni Regis » servus eodem titulo habebatur quo Samariæ satrapa, populum ex veterum legum norma proprioque marte regere poterat.

Quæ indulgentia, si gentes satrapis subditas durioreque Sennacherib et antecessorum jugo usque constrictas non attigit, saltem in regno Juda ita viguit, ut assyriacæ factioni novas vires addiderit. Non ergo miremur quod, vergentibus jam annis, Isaias idem, qui ad libertatem adversus hostes tuendam Judæos hortatus erat, salutem non jam in bello, sed in pace et deditione in posterum sitam esse perspexerit. Mutatis enim rerum et temporum adjunctis, regnum Juda in extrema fortuna stabat; defuncto pio rege Ezechia, recedebat divina tutela. Gentis libertatem neque obtinere, neque cupere fas erat; poterat igitur Jeremias obsequium erga Chaldæos Judæis suadere civesque a pristina contentione revocare :

« Gens autem et regnum quod non servierit Nabuchodonosor, regi Babylonis, et quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis, in gladio, et in fame, et in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu ejus. Vos ergo, nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis : Non servietis regi Babylonis. Quia mendacium prophetant vobis, ut longe vos faciant de terra vestra, et ejiciant vos, et pereatis. Porro gens quæ subjecerit cervicem suam sub jugo regis Babylonis, et servierit ei, dimittam eam in terra sua, dicit Dominus, et colet eam[1], et habitabit in ea. Et ad Sedeciam, regem Juda, locutus sum secundum omnia verba hæc, dicens : Subjicite colla vestra sub jugo

regis Babylonis, et servite ei.... Et ad sacerdotes, et ad populum istum, locutus sum, dicens : ...Nolite audire verba prophetarum vestrorum..., sed servite regi Babylonis (1). »

Nec mirum, si populum quem Isaias contra invadentes concitabat quemque Jehovah, Ezechiæ pietate motus, tuebatur, Jeremias nunc ad servitutem subeundam hortatur, siquidem, regum ac gentis scelerum ratione, rectum divinæ justitiæ decretum jam non amplius defugiendum erat.

IX. — Attamen plurimi erant in regno Judæ qui deditionem erga hostes, vel mitigatam, abnuebant; non equidem diffitebantur tale esse Assyriorum imperium ut soli Judæi illud impugnare non valerent; sperabant vero se a vicina et præpotenti gente adjuvandos esse. Ægyptus enim, regnante principe æthiopico, famam et unitatem recuperaverat; solum erat imperium quod Orientales agnoscerent et non flocci facerent, et cujus exercitus Assyrios trans Euphraten repellere possent. Ea spe freta ægyptiaca factio accrescebat, naturalemque rerum ordinem et studium in patriam obtestabatur : Si Assyriæ subdamur, aiebant ejus fautores, jam tota gens ruet; nihil enim Rabsaces iste, a Sennacherib missus, Hierosolymitanis obtulit nisi deditionem et exsilium. E contra fœdus cum vicinis initum in parem juris conditionem regem Judæ regemque Ægypti constituet : quæ enim ille huic per nuntios offert, non tributa sed mere dona sunt (2). Demum nihil metuendum apparet ex

(1) Jer., xxvii, 8-17.
(2) Is., xxx, 2-6.

parte Ægyptiorum, quorum rex alienas terras occupare non studet, totusque in stabiliendam propriam auctoritatem incumbit. Si vero Sion absque sociis permaneat, mox « reliquiæ Juda (1) » ab iis obruentur qui damascenum regnum everterunt.

Cujus ægyptiacæ factionis dux fuisse videtur Sobna, ipsius nomine שֶׁבְנָא aramaicum ortum significante (2); ratio est cur Isaias in eum verisimile invectus sit, quum populum sic alloquitur : « Pro eo quod reprobastis verbum hoc, et sperastis *in calumnia et in tumultu,* et innixi estis super eo : propterea erit vobis iniquitas hæc.... (3). » Unde nihil mirum si illum solum, prout privatum hominem una speciali prophetia lacessiverit, ducis et integræ sectæ ruinam declarando (4).

Per multos annos Ezechias rex Sobnæ sententiam secutus est, eumque sibi ad rem publicam gerendam substituit : nuntios judaicos adverso Nilo misit qui fœdus cum æthiopico rege Tharaca ferirent; ipseque Ezechias, vicinorum populorum pacto, adversus Assyrios præpositus est. Opportunam sane in morte Sargon occasionem nacti, Ægyptique promissis, ut videtur, moti, omnes Phœniciæ principes niniviticum jugum excusserunt, everteruntque præfectos qui conjurare nolebant, ut Padi, regem Accaron, qui Eze-

(1) Jer., xl, 15.

(2) Omisso paterno nomine, probabile videtur Sobna judaicæ stirpis non esse; immo statu emphatico hujusce vocis שֶׁבְנָא (Gesenius, *Lehrgebäude der hebräischen Sprache*, I. Hauptth., cap. II, § 42. Leipsig, 1817) innuitur ipsum ab Aramaicis oriundum; si igitur Sobna a Damasco ad Jerusalem pervenerat, necessario ægyptiacæ parti favere Isaiæque probra mereri debebat.

(3) Is., xxx, 12, 13.

(4) Is., xxii, 15-25.

chiæ traditus est, et in cujus locum Græcus quidam, nomine Yavan, suffectus est (1). Ezechias ergo Ægyptiis plane assentitus est et Isaiæ prophetias minasque (2) non secundis auribus accepit, usquedum instante clade monitus est. Sennacherib enim, postquam occidentalibus tributariis suis nonnullos laxamenti annos reliquisset, anno 701 (3), Syriam invasit (4). At principes, quum ninivitica potestati nullatenus resistere valerent, aut fugerunt, aut arma tradiderunt, exceptis Zidqa (5), Ascalonis rege, et Ezechia (6), qui præpropere Ægyptiorum auxilium efflagitaverunt. Ante autem quam hi convenerint, Sennacherib urbem Ascalon cepit, aciem promovit, et ad urbem Eltece reges Ægypti et Meroë ita profligavit, ut vix exercitum in patriam reducere potuerint (7).

(1) Legitur in cylindro, vulgo dicto *Cylindre de Taylor* (*W. A. I.*, vol. I, tab. 37-42.), col. III. *Lin.* 69. « Principes, magnates, populus Amgarunna (Accaron), 70. qui Padi suum regem, qui servaverat fidem et juramentum 71. Assyriæ, jecerant in vincula ferrea et Ezechiæ 72. Judæo tradiderant, qui illum in obscurum, carcerem dimisit.... »

(2) Is., xxx, ubi propheta regi populoque exprobrat fœdus cum Ægyptiis inutile ac nocivum, quod super Judæos iracundiam divinam provocabit.

(3) Cf. G. Smith, *Zeitschrift für Œgyptische Sprache*, Mart. 1870, p. 36.

(4) Hanc tertiam Sennacherib expeditionem contra Syriam descriptam habes in cylindro supradicto.

(5) *Lin.* 58. « Et Zidqa, regem Ascalonis, 59. qui seipsum meo jugo non submiserat 61. abstuli et in Assyriam duxi. » In *Taylor-cylindro*, col. II.

(6) *Lin.* 11. « Et Ezechiam 12. Judæum qui se mihi non submiserat... 17. obsedi. » *Ibid.*, col. III.

(7). *Lin.* 67. « Urbes Zidqa quæ mihi 68. propere se non submiserant, cepi, earum spolia transtuli.... 73. Reges Ægypti, 74. sagittarii, currus, equi regum Milukhi (Meroe), 75. innumerabiles exercitus perrexerunt et venerunt 76. in eorum subsidium. Coram 77. Altaqu aciem eduxerunt contra me. Effuderunt 78. exercitus suos. Confidens in Assur, domino meo, 79. pugnavi cum eis, quos in fugam verti. 80. Principem curruum et filios, regis Ægypti 81. simul cum principe curruum regis.... Miluḫḫi cepi 82 vivos propria manu in medio pugnæ. Urbes Altaqu, 83. Timnath oppu-

X. — Quæ quidem clades ægyptiacam factionem in regno Judæ diu vigentem evertit. Unde in locum Sobnæ, qui jam post Rabsacen Hierosolymam missum, potestate detrusus, scriba tantum evaserat (1), rebus publicis præfectus est Eliacim, qui Deum timebat et Isaiæ sententiis assentiebatur (2). Quum enim, Ægyptiis superatis, regem Sennacherib ad se infestis armis accedentem vidisset Ezechias, « super baculum arundineum confractum (3), » ægyptiacum nempe, amplius exinde confidere noluerat. Jam ergo vincebat theocratica rei civilis gerendæ theoria, quam Isaias prophetiis protulerat dicens : « Si revertamini et quiescatis, salvi eritis ; in silentio et in spe erit fortitudo vestra (4). » Ut apparet, tertia, cui favebat, factio tum ab Assyriorum tum ab Ægyptiorum fœdere abhorrebat, ipsiusque judaicæ gentis veram et summam prosperitatem extollebat. Nam si humaniores litteræ et commeatus ex isto cum exteris gentibus commercio aliquid commodi hauserant, istud cum morum, pietatis, cultus et obedientiæ in Deum detrimento factum est. Jehovah enim peculiari sigillo populum signavit eumque segregavit a Gentibus ut fides ejus cautior certiorque salus evaderet; quem ut delinquentem castigaret, in Assyriorum manu virgam iræ posuit. « Væ Assur ! Virga furoris mei et baculus ipse est ; in manu eorum indignatio mea (5). »

gnavi, cepi, cives abduxi. » *Ibid.*, col. II. — Cf. SCHRADER, *The cuneiform Inscriptions*, vol. I, p. 280 sqq. — *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band II, 80 sqq. — *Records of the Past* (R. P.), vol. I, p. 33 sqq. — G. SMITH, *History of Sennacherib*, p. 53 sqq.

(1) Is., XXXVI, 3.
(2) Is., XXII, 15 sqq.
(3) Is., XXXVI, 6.
(4) Is., XXX, 15.
(5) Is., X, 5.

Non tamen vindicta in ruinam vertetur, sed modum trans fines a Deo statutos nullatenus excedere poterit hostis : « Ad gentem fallacem mittam eum et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur et cor ejus non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor ejus et ad internecionem gentium non paucarum.... Reliquiæ convertentur; reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.... Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum : Noli timere, populus meus, habitator Sion, ab Assur.... Auferetur onus ejus de humero tuo (1). »

Cujus tamen superni auxilii spes regis et populi animos nondum subierat. Ezechias quidem obsequi non diffitebatur prophetæ, superbiam hanc exprobranti qua, ante babylonios nuntios, thesaurum regium ostentando, intumuerat : « Et dixit Isaias ad Ezechiam : Audi verbum Domini exercituum. Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ in domo tua sunt.... Et dixit Ezechias ad Isaiam : Bonum verbum Domini, quod locutus est (2). » Non tamen prius ab Ægyptiis recesserat rex Juda quam Sennachorib ante Hierosolymam miraculo inhibitum viderit. Exinde vero cœpit Isaiam in rebus tum civilibus tum divinis consiliarium assumere, totoque decursu vitæ fidem inviolatam ei servavit. Immo quum, Ezechia et, ut probabilius videtur, Isaia defuncto, regnum Juda novis ærumnis pressum est, non alius gubernandi modus in usum venit; domus David genuinaque vita

(1) Is., x, 6. 7, 21, 24, 27.
(2) Is., xxxix, 5, 6, 8.

populi servatæ sunt, usque dum divina Providentia babylonicam captivitatem permiserit.

XI. — Civiles perturbationes quæ, prophetæ Isaiæ temporibus, totum Orientem everterunt, in judaicam gentem non minimi ponderis fuerunt, quatenus Judæ regnum majorem influxum et notitiam obtinuit, permultisque et omnimodis negotiis interpositum est. Hinc necesse erat ut de Gentium fortunis magis solliciti fierent Judæi, eaque scrutarentur quæ a Tigride ad Nilum usque, in Assyria, Babylonia, Ægypto et Æthiopia eveniebant, dum antea de idumæis et damascenis tantum rebus sciscitabantur. Hæc nova adjuncta præsertim in iis quæ ad prophetias spectant apparent. Cum Isaia enim ejusque coævis *universale* fit prophetiæ objectum et ultra Israeliticos terminos ad res et personas totius Orientis late extenditur; sors Gentium cum sorte Judæorum conjungitur; non solum Israel est hæreditas Dei, sed et « Benedictus populus meus Ægypti et opus manuum mearum Assyrio (1). » ut ait Dominus. Hinc prophetiæ adversus Gentes eadem ratione requiruntur qua prophetiæ erga ipsum Juda.

XII. — Demum, si judaici populi vita ex duabus gentibus pendebat quæ de imperio Orientis contendebant, Judamque hinc et illinc secum trahere conabantur, non spernendo in idem regnum influxu ceteræ vicinæ gentes fruebantur, quas circumstantiæ et bonum publicum fausta vel adversa via alliciebant. Per-

(1) Is., xix, 25.

multis librorum historicorum documentis probatur magni in Judæ statum ponderis fuisse Damascum, Moab, Ammon, Edom, Tyrum, Sidonem et Philistæam. Præter enim amicitias vel junctas vel disjunctas in rebus civilibus gerendis, frequentes erant commeatus qui vicinos jungebant; frequentia etiam erant adjuncta quibus, ratione satis infirmarum virium habita, invalidæ illæ gentes tum ad Judæ, tum ad Assyriæ partes confugere nitebantur. Ea est causa cur de iis apud Hebræos prophetas agatur. Ita propheta Amos scelera Damasci, Gazæ, vicinarumque civitatum primum enumerat, pœnasque cœlitus immittendas vaticinatur (1). Idem iter ingressi, Isaias (2), Jeremias (3) et Ezechiel (4) illorum fata evolvunt, tum assyriacis, tum judaicis fatis permixta.

XIII. — Peculiare propositum nobis est eas adversus Gentes prolatas prophetias evolvere, et investigare utrum revera effectum obtinuerint, necne. Prophetia enim sub multiplici respectu considerari potest. Quum sit, strictiore sensu, prædictio certa alicujus futuri eventus, qui a prædicente in causis naturalibus præsciri nequit (5), attenta sola illius cognoscibilitate, in duplici momento spectanda erit. A priori, ut ita dicam, dignosci liquet prædictionem veram divinamque prophetiam esse, si nempe præ se ferat varias conditiones quibus constet hanc prædictionem a Deo realiter proficisci. Sed propheticæ

(1) Amos, I, 2. — II, 3.
(2) Is., xiv-xvii; xxiii.
(3) Jer., xlvii-li.
(4) Ez., xxv-xxxii.
(5) Jungmann, *De vera Religione*, p. 121.

inspirationi aliud inest a posteriori criterium, earum nempe adimpletio, rerumque et adventuum cum prædictis concordia. Illud igitur est criterium quod hisce investigationibus illustrare contendimus, secundum mentem doctissimi viri Vigouroux, quem multis abhinc annis magistrum venerari gloriamur (1).

(1) « Toutes les prophéties concernant les peuples païens ont été littéralement accomplies. » VIGOUROUX, *Manuel Biblique*, tom. II, p. 521.

CAPUT II

Onus contra Ægyptum.

XIV. — Antequam prophetæ florerent, summa Ægypto erat gloria et potestas : ipsa enim utpote vetustissimum et amplissimum inter regna, haud dubie ceteris dominabatur, non solum Palæstinæ, sed etiam Syriæ septentrionali, Euphratæ ripis, Antiochenique sinus littoribus. Præsertim vigente XVIII dynastia, ad summum laudis apicem pervenit : Annales Thoutmes III (1) referunt quam præclarum iter per regionem Chanaan et Rutennu (quæ hucusque sui juris fuerant), et urbes citra ultraque Euphraten positas (2), fecerit. Parietes enim Karnak hæc gesta extollunt, tum geographicas series evolvendo, tum asiatica bella enarrando anaglyptisque illustrando (3) : hic inter alia inscribitur ægyptiacum imperium in insulas et undas Mediterranei maris.

« Veni; tibi tradidi concutiendas gentes asiaticas; in servitutem redegisti principes Rutennu....

(1) De Rougé, *Annales de Thoutmès III*, p. 8, 9, 26, 28. — *Sur quelques textes inédits du règne de Thoutmès III*, p. 35, 40. — Cf. *Comptes rendus de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, 1874, p. 243-260.

(2) Ebers, *Thaten und Zeit Tothmes III*, apud *Zeitschrift*, 1873, p. 1 sqq. — Chabas, *Mélanges Égyptologiques*, 3e série, tom. II, p. 279 sqq.

(3) Mariette, *Étude topographique et archéologique*, Leipsig, 1875, p. 53. *Les listes géographiques des pylones de Karnak, comprenant la Palestine, l'Ethiopie, le pays des Somal*, Leipsig, 1875, passim.


Veni; tibi tradidi plectendam terram Orientis; Kefta et Asebi sub tuo regimino tremunt.... Veni; tibi tradidi concutiendos illos, qui in insulis degunt... concutiendos Ta'hennu. Danouna insulæ tuæ potestati submittuntur.... Veni; tibi dedi premenda extrema maris... omnes qui in paludibus repugnant... Ipsis majestatem tuam ostendi (1). » Immo, ad meridiem, in Æthiopiam regionesque ultra ejus fines positas firmabatur Ægypti imperium. Dum autem vigerent arma, humaniores litteræ et artes pariter florebant.

At ineunte XIX dynastia, ex variis signis dignoscitur tantam ruere potestatem breviterque eam disjungendam esse. Ægyptus enim non jam aliis gentibus instat, sed et ipsa ab hostibus petitur, variisque causis quæ ad res tum civiles, tum religiosas spectant, prohibetur ne Palæstinam et Syriam sub dominio suo servet. Vix enim e vivis recessit Ramses II, quum imperium ab eo conditum jam prolabitur : quod invadunt Lybiæ, Asiæ, Mediterranei maris insularum cultores, et ad septentrionem occupant partimque diripiunt regionem quæ vocatur *Delta* (2). Unde regnante XX dynastia, incipit perturbationis ætas, quæ per quatuor fere integra sæcula Ægyptum fœdabit. Accedunt etiam contentiones factionumque pugnæ, potestas a sacerdotibus usurpata, inter inferiorem superioremque Ægyptum orta jurgia, ad exteros demum reges deditio.

(1) Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient*, tom. II, p. 299. — Maspero, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient*, 1878, p. 206; *Du genre épistolaire*, p. 85, 89. — Mariette, *Revue générale de l'Architecture*, 1860, tom. XVIII, col. 57, 60; *Notice des principaux monuments exposés au musée de Boulaq*, 8e édition, p. 78, 80. — Birch, *Archæologia*, tom. XXVIII. — De Rougé, *Revue archéologique*, 1861.

(2) Chabas, *Études sur l'Antiquité historique*, p. 230-250.

Sane, regnante Sesac, qui Hierosolymam vastavit (1), iterum vicerunt Ægyptiorum exercitus; at



JUDÆI (ROBOAM?) DEVICTI IMAGO AD PARIETEM KARNAK. (Pag. 43).

(1) I. REG., XIX, 25. — De insigni imagine regis cujusdam Judæi, forsan Roboam, ejusque notitia sub titulo *Iutah malek* « rex, seu regnum Judæ, » in parietibus Karnak, cf. inclytam explorationem Champollion junioris apud Champollion, *Lettres écrites d'Égypte et de Nubie en 1828 et 1829*, Paris 1833, p 97, 98. — ROSELLINI, *Monumenti*, tom. I, tab. LV. — VIGOUROUX, *La Bible et les Découvertes modernes*, tom. IV, p. 12.

ipsa Sesac regia domus mox debilitata est, ita ut mediante sæculo VIII ante Christum, divisa regio in manus vicinorum principum, quorum potestas ultra sedem imperii non patebat, inciderit (1).

Hi autem perpetuis rixis et sordidæ invidiæ obtrectationibus traditi, invadentes populos allexerunt : meridianæ tribus occasionem avide amplexæ sunt, Æthiopumque exercitus omnia ferro et igne vastaverunt. At princeps quidam, strenuus et acer, ortu æthiopico, *Schabak*, has direptiones diremit, ipseque novam regiam domum condidit, et veterem potestatem sibi recuperavit (2). Qui non alius est atque ille quem Biblia *Sua* (3) vocant, cujus auxilium rex Osee adversus Assyrios impetravit. *Sua* autem in stabilienda auctoritate nimis implicatus erat quam ut exercitus longe ad socios mittere posset. Principes minoris notæ domuit, popularem aurem sibi conciliavit simulque Ægyptum et Æthiopiam in unicum

(1) Maspero, *Histoire ancienne*, p. 379 sqq.

(2) Maspero, *op. cit.*, p. 387 sqq. — Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient*, tom. II, p. 349 sqq.

(3) IV (II) Reg. xvii. 4. — Erraverunt Massorethæ, puncto *cholem* insignientes hanc vocem סוֹא, quæ alia puncta obtinere et סָוָא legi debet, teste forma ejusdem nominis in textibus assyriacis, in quibus legitur  = סַבְאִ = *Sab - '- 'i*. — Cf. Oppert, *Mémoire sur les rapports de l'Egypte et de l'Assyrie dans l'antiquité*, in *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, 1869, tom. viii, p. 534. — Schrader, *The cuneiform Inscriptions*, vol. I, p. 261. — Nec tam longe distat hæc vox סָוָא recte punctis munita a voce ægyptiaca *Schabak*, apud Græcos Σαβαχώς. Vox enim ægyptiaca, uti apparet in clypeo (vulgo *cartouche*) hujusce regis,  tribus constat litteris *sch*, *b* et *k*, quarum ultima apud Æthiopes quasi aspiratio propria et densissima sonat. In hebræa vero lingua hæ tres litteræ sic exprimuntur, *sch* per ש vel ס, *b* per ב seu ו, et *k* per ע aut spiritum minus asperum, nempe א. Manetho ceterum Schabak nominat Σευέχος seu *Sevechus*, *Sebechus*, quod fere idem sonat ac סָוָא.



Ægyptiaca piscatio. (Pag. 47).

regnum coadunavit. Hac præclara ætate oriri incipiunt prophetiæ adversus Ægyptum, quales apud Isaiam, Jeremiam et Ezechielem reperiuntur (1).

XV. — Inter omnes prophetias adversus gentes latas, ea eminet quam contra Ægyptum vaticinatus est Isaias et quam in integrum hic proponimus :

« Cap. xix. — Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus.

» Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios; et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo; et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.

» Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur atque siccabitur. Et deficient flumina, attenuabuntur et siccabuntur rivi aggerum, calamus et juncus marcescet. Nudabitur alveus rivi a fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet et non erit. Et mœrebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum; et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. Confundentur qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia. Et erunt irrigua ejus flaccentia; omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.

(1) Is., xix, xx; Jer., xliii, xliv, 29, 30; xlvi; Ez., xxix-xxxi.

» Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Ubi nunc sunt sapientes tui? Annuntient tibi et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos; deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis; et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens. Et non erit Ægypto opus quod faciat caput et caudam, incurvantem et refrænantem.

» In die illa, erit Ægyptus quasi mulieres; et stupebunt, et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam. Et erit terra Juda Ægypto in pavorem; omnis qui illius fuerit recordatus pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam.

» In die illa, erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum. Civitas Solis vocabitur una.

» In die illa, erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. Erit in signum et in testimonium Domini exercituum in terra Ægypti; clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa; et colent eum in hostiis et in muneribus; et vota vovebunt Domino et solvent. Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam; et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos.

» In die illa, erit via de Ægypto in Assyrios; et intrabit Assyrius Ægyptum, et Ægyptius in Assyrios, et servient Ægyptii Assur.

» In die illa, erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio; benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens : Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio; hæreditas autem mea Israel.

» Cap. xx. — In anno quo ingressus est Thartan in Azotum, cum misisset eum Sargon, rex Assyriorum, et pugnasset contra Azotum, et cepissset eam; in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ, filii Amos, dicens : Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus et discalceatus.

» Et dixit Dominus : Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum et super Æthiopiam; sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenum et senum, nudam et discalceatam, discoopertis natibus, ad ignominiam Ægypti.

» Et timebunt, et confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua. Et dicet habitator insulæ hujus in die illa : Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum! Et quomodo effugere poterimus nos? »

Mira quidem prædictio, sive quum ad futurorum eventuum notitiam et declarationem attinet, sive quum manifestatur eximia notio rerum quæ illo tempore ad religiosum, ethicum, politicum et physicum Ægypti statum referuntur. Hæc sane, quæ rationa-

listæ causis mere naturalibus explicant, catholicus vir, Scripturæ inspiratæ propugnator, interni luminis influxui, prout est revelationis fructus, partim tribuit.

Propheta, uti Herodotus postea (1), Ægyptum pingit quasi Δῶρον τοῦ ποταμοῦ, « quod, maris instar, totam late regionem occupat a medio mense augusto usque ad octobrem, ita ut fere sola oppida et vici, insularum instar, ex undis emineant. Si vero largi deficiunt imbres, quibus Nili fontes alantur augeanturque, tum et ipse fluvius arescere videtur; ejus autem inundatione salutifera sublata, nulla jam pro Ægypto remanet spes sementis et messis; unde cum fluvio arescente arescunt omnes Ægyptiorum opes, ac divitiæ misere dispereunt (2). » Sane irruptiones quas propheta prænuntiat (3) neque Nilum flumen arcere, neque alvum ejus exsiccare poterunt; omnia tamen evertendo, damnum inferent tum opificiis arte factis, tum canalibus ad aquas per agros dispertiendas, demum etiam regionis ubertati et divitiis.


Hinc aliæ facultates, quæ piscando acquirebantur, ipsæ ruent : « Nudabitur alveus rivi.... Et mœrebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum; et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent (4). » Ars enim piscatoris exinde insignior et frequentior, imprimis ad fluminis oras, erat, quod Nilus « Dominus piscium (5), » ex una parte

(1) *Herod. Histor.*, l. II, § V.

(2) Knabenbauer, *In Isaiam*, tom. I, p. 381. — De inundatione Nili ejusque beneficiis, cf. Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient*, tom. II, p. 8 sqq. — Maspero, *Histoire ancienne*, p. 1 sqq. — Champollion-Figeac, *Égypte ancienne*, p. 7. — Ebers, *Ægypten*, passim. — Osburn, *The monumental History of Egypt*, vol. I, p. 9-14. — Herodot. *Histor.* lib. II, § VIII.

(3) Is., XIX, 2-4. (4) Is., XIX, 7-8.

(5) *Papyrus Sallier*, transl. a Maspero, citatus apud Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient*, tom. II, p. 16.



Pisces more ægyptiaco conservantur. (Pag. 53).

piscibus abundabat, quodque, ex altera, Ægyptii iis, teste Herodoto (1), copiose vescebantur, — uti etiam nunc eos vescentes (2) experti sumus. Non ergo miremur quod inter quotidianæ vitæ effigies, quæ in sepulcrorum parietibus sculpuntur, tum in Beni-Hassan, tum Thebis et prope Pyramidas (3), sæpe appareant piscatores, qui pisces aut in retibus trahunt, aut in sale asservandos ponunt; huc etiam pertinent quæ scriba quidam XII dynastiæ de periculis hujus artis denuntiat : « Tibi dico quomodo piscator magis laborat quam quævis alia ars, quæ non laborat in flumine. — Vivit inter crocodilos. — Si densi calami evadunt sub ejus pede, et si crocodilus adest. — Frustra auxilium poscit. — Terrore cœcatur (4).

Cetera Ægypti artificia, quæ etiam detrimentum passura esse profert Isaias, ipse propheta penitus novit. Unum præsertim notat quod elanguescet, cultum nempe lini et artem pannos subtiles ex candido lino texendi : « Confundentur qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia (5). » Huic enim culturæ tota Ægyptus incumbebat : primum necessaria erat ut fabricarentur lintea et vittæ, quæ involvendis conservandisque cadaveribus inserviebant,

(1) Inter varios cibos quibus utuntur Ægyptii, pisces enumerat Herodotus, quibus exenteratis tantum et ad solem exsiccatis nonnulli victitant. *Histor.* lib. II, § xcii.

(2) « 4 Avril 1890.... Plus de viande de Siout sur le bateau! Rien que des poissons du Nil séchés, comme on en offre à chaque station - *eheu!* quel carême! - aux Égyptiens qui en font leurs choux gras.... » *Journal de voyage.*

(3) Kayser, *Ægypten einst und jetzt,* p. 15.

(4) Maspero, *Du genre épistolaire chez les anciens Egyptiens.*

(5) Is., xix, 9.

ut ex picturis specus *El-Kab* (1) singillatim cognoscitur. Demum lino vestiebantur sacerdotes, quod quantis curis cultum textumque fuerit (2) testantur reliquiæ quæ ad nos usque pervenerunt.

Nec minor prophetæ inest cognitio de moribus hujus populi in quantum incantationibus magicisque rebus deditus erat, quum de divinis, pythonibus et ariolis ægyptiacis loquitur : « Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo; et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos (3). »

Ars enim magica late apud ipsos percrebuerat, et tum a doctis viris et primatibus, tum a rudi plebecula, quod ad res publicas et privatas attinet, usurpabatur. Plures erant tractatus de magia, inter quos princeps adhuc exstat papyrus illa, cui gallice titulus *Le papyrus magique Harris* (4), et in qua permultas reperire est formulas contra varia pericula sive ex flumine, sive ex animalibus nocivis, sive ex morbis infaustisque ac diversis viribus.

(1) « 5 Avril 1890.... Le *Nefert-Ari* stoppe: c'est *El-Kab*, l'ancienne *Eléthya*, la cité de la déesse Nekheb, aux doux yeux et à la charmante tête de vautour. De nombreux monticules formés par des amas de tessons et de décombres, des restes de remparts, d'enceintes et de temples, voilà toute la richesse antique et peu solennelle du pauvre village actuel. Sur un malheureux ânon, d'ailleurs prévenant et docile, sans selle, sans bride, armé d'une simple baguette plus à l'adresse du moucre que de ma monture, je me dirige vers les hauteurs, qui dominent le site de l'ancienne ville. Là sont creusées des grottes célèbres, dont plusieurs, chargées de sculptures et de légendes, datent sans doute de la XVIIIe dynastie.... » *Journal de voyage.*

(2) De cultura lini apud Ægyptios eorumque peritia in arte texendi, cf. Herodot. *Hist.* lib. II, § XXXVII, CV. — Celsius, II. — Hasselquist, *Journey*, p. 500. — Olivier, *Voyage*, III, p. 297. — Girard, *Description de l'Égypte*, tom. XVII, p. 98. — Ritter, *Erdkunde*, tom. II, p. 916. — Wilkinson, *Manners and customs of ancient Egyptians*, vol. III, p. 140.

(3) Is., XIX, 3.

(4) Chabas, *Le papyrus magique Harris*. Châlons-sur-Saône, 1860. — Cf. alios magicos textus in *R. P.*, vol. VI.

Haud minus compertum habebat Isaias statum politicum in Ægypto tunc temporis vigentem. Recte enim illum, qui a Rabsace dicebatur « Pharao rex Ægypti (1), » Isaias nominare potest « regem *Æthiopiæ* (2), » et etiam loqui de rege Assyriorum, qui minabitur « captivitatem *Ægypti* et transmigrationem Æthiopiæ (3), » necnon et de contribulibus suis, qui « timebunt et confundentur ab *Æthiopia*, spe sua, et ab Ægypto, gloria sua (4). » Mediante enim VIII sæculo ante Christum, Piankhi Meri-Amon, qui super Æthiopiam in urbe Napata regnabat et superiorem Ægyptum occupabat, in inferiorem Ægyptum contra Tafnekht, Saiticæ familiæ principem et caput, incessit; primusque, rebus prosperis, duplicem Ægyptum sub uno eodemque sceptro coadunavit (5) et in urbem suam Napata reversus est, præda onustus, « auro nempe, ut ipse ait, argento, ære, pretiosis vestibus, omnibus divitiis septentrionalis regionis, omnibus mercibus Syriæ et Arabiæ (6). »

Tum primum, post elapsa duo sæcula, coadunabatur Ægyptus, ita tamen ut Æthiopia non jam subderetur, sed imperium obtineret. Napata enim, non vero Thebæ aut Memphis, urbs Ægypti prima fiebat.

(1) Is., XXXVI, 6; cf. IV (II) Reg., XVIII, 21.

(2) Is., XXXVII, 9.

(3) Is., XX, 4.

(4) Is., XX, 5.

(5) Cf. *R. P.*, vol. II, page 79-104, ubi invenies insignem inscriptionem hujusce Piankhi. — *Revue Archéologique*, 1871-1873, in qua de hac quæstione disseruerunt de Rougé et Lenormant. — CANON COOK, *The inscription of Pianchi Mer-Amon*, London, 1873. — BRUGSCH, *Geschichte Ægyptens*, p. 68. — MARIETTE, *Monuments divers*, tom. I, pl. I, VIII.

(6) E. DE ROUGÉ, *Inscription historique du roi Pianchi-Mériamoun*, Paris, 1863.

Ex una quidem parte Kaschta, regis Piankhi successor, — forsan etiam gener, — conatibus filii et successoris Tafnekht, nomine Bokenranw, obsistere non potuit; ex altera vero Schabak, filius ejusdem Kaschta, Ægyptum recuperavit, ut revera princeps : sese tanquam verum Pharaonem constituit, duplicis Ægypti coronam assumens, veterumque regum formulis (1) suas inscriptiones decorans. Novam efformavit dynastiam, nempe XXV (2), tribus æthiopicis regibus constitutam, quorum secundus, Schabatak, ut antea Kaschta, quadam paterni muneris parte destitutus est; Thebas servavit, non vero commisit ut inter dynastias Sais et Tanis, quæ de imperio in Delta pugnabant, sese intermisceret, etsi tamen civitate Memphis ad breve tempus potitus sit Schabatak. Sed jam de illo actum erat. Anno enim 692, Tharaca (3), qui in urbe Napata, intra fines Æthiopiæ, quartum decimum annum regnabat, quique sorori Schabak junctus fuerat, Schabatak fugato et occiso, totam recuperavit Ægyptum, ex thebaico anaglypto quod inferiorem superioremque regionem junctas fuisse quodam simulacro testatur (4).

XVI. — Hinc concludere licet nihil ex iis, quæ ad civilem et religiosum Ægypti statum pertinent, Isaiam fugisse.

(1) Vulgo : *protocole.*

(2) Maspero, *Hist. anc.*, p. 387.

(3) De Rougé, *Étude sur les monuments de Tahraca ; Mélanges d'archéologie égyptienne et assyrienne*, Novembre 1872, p. 6. — Goodwin, *Upon an inscription of the reign of Shabaka,* apud Chabas, *Mélanges égyptologiques*, 3e série, tom. I, p. 339 sqq.

(4) Simulacrum illud habes apud Lenormant, *Hist. anc. de l'Orient*, tom. II, p. 365, ex Lepsius, *Denkmäler aus Ægypten und Æthiopien.*

Pariter de futuris eventibus nuntiandis solers fuit. Inter ista quæ, eo auctore, Ægypto instant, primum apparent factiones. « Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios; et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum (1). »

Ægyptum enim internis dissidiis sæpe sæpius discissam fuisse, ex plurimis dynastiis quæ variis partibus imperium exercebant, aperte constat. Jam ante Ramses III, nondum regnante XX dynastia, mortuo Seti II, vere dissolvebatur Ægyptus. Hoc præsertim apparet ex inclyto *papyro Harris*, quod transtulit et interpretatus est doctor Eisenlohr, qui ægyptiacam linguam in Universitate Heidelbergensi privatim docet. Papyrum illam, quæ inter clarissimas et integerrimas eminet, novem et septuaginta chartis gesta Ramses III memorat. Rex ipse, quasi ante ministros suos et plebem verba solemnia ederet, quidquid ad colendos deos perfecit et obtulit, evolvit. Postquam deos Thebarum, Heliopoleos, Mempheos, ceterarumque superioris inferiorisque Ægypti urbium numeravit, bella terra marique gesta, colonias ad Sinaiticum montem exstructas enarrat. Antea vero exponit adjuncta, quibus ad supremam potestatem exercendam evectus est et ea quæ præiverunt. Ita politicum Ægypti statum describit :

Folio 75. — « *Linea 2*.... Nota vobis facio gesta quæ peregi utpote rex hominum. Hæc facta sunt.

» *Lin. 3*. In terra Ægypti eversa, unusquisque pro libitu suo [agebat]; ipsis nullum caput, per multos annos, dominium exercebat super alios. Erat terra Ægypti

(1) Is., xix, 2.

» *Lin. 4.* principibus; in provinciis unus occidebat alterum simultate potestatis. Alii eventus effluxerunt postea, per plures annos asperos; ad imperium seipsum evexerat quidam Chara [Syriacus?]

» *Lin. 5.* inter illos tanquam princeps; ipse subjecit terram universam dominio suo; congregavit socios suos, thesauros diripuit; ipsi deos exæquaverunt

» *Lin. 6.* hominibus; nulla munera jam in templis offerebantur; humi jacebant dii; sola voluptate regebatur vita ejus.

» *Lin.* 7. [Dii] constituerunt filium suum ex visceribus suis [ortum] principem, v. f. s. (vita, fortuna, sanitas) omnis regionis, super thronum suum, magnum solem diademate ornatum, electum a Ra, dilectum ab Amon, v. f. s. filium Ra [Solis, strenuum Seti diligentis], v. f. s.

» *Lin. 8.* Erat tanquam Khepera-Sutekh in suo tumultu. Subegit omnem terram [quæ] insurrexerat. Percussit scelestos [qui] erant in terra Mera. Mundavit.

» *Lin. 9.* magnum thronum Ægypti. Fuit princeps v. f. s. duplicis regionis in loco Tum. Meliores effecit vultus antea corruptos ita ut unusquisque agnoscat fratrem suum. Quod exciderat erexit, templa cum muneribus ad serviendum novem diis secundum eorum decreta. Elegit me in principem regium in throno Seb. Ego sum magnum caput terrarum Ægypti.... (1) »

(1) *Transactions of the Society of Biblical Archæology* (*T. B. A.*) tom. I, p. 355. *On the political condition of Egypt before the reign of Ramses III.* — Cf. Chabas, *Recherches pour servir à l'histoire de la* XIXe *dynastie*, p. 1-28.

Hinc omnia eversa sunt, non quidem regnante Ramses III, sed post ipsius mortem, ut jam supra notavimus (1). Summi enim Thebani sacerdotes principatum Ægypti ultimis Ramessidis eripiunt (2). Nova dynastia, XXI nempe, in urbe Tanis cum rege Smendes conditur (3), Delta regit, ita tamen ut potestatem prorsus stabilire nequeat : Thebæ hinc et illinc liberæ fiunt. Æthiopia adeo distat, ut regnante sacerdotum Ammonis sobole, jugum respuat. Nomi libertatem sibi vindicant et a supremæ potestatis dominio recedunt. Pharaones Tanis, ut imperium conservare possint, Ægyptum tradunt exteris, qui, postquam ad Bubasten triumphaverunt, eos a quibus vocati erant subvertunt ipsique, regnante Sesac I, dominantur. Hujusce vero principis successores ita debiles fuerunt, ut regionem integram dissolverent, genuina feuda sibi constituendi cupidine moti. Quæ Maspero propemodum sic refert : « Ne adversus semetipsos iteraretur, quæ antea a summis sacerdotibus Ammonis admissa fuerat, usurpatio, Sheshonq et posteri ejus omni ope atque opera nisi erant ut summa munia principibus e regia stirpe oriundis traderentur. Unus ex filiis regnantis Pharaonis, sæpius qui natu major erat, in summum sacerdotem Ammonis et Thebarum præfectum eligebatur; alii Sesoun et Khnensou, alii aliis Delta et superioris Ægypti urbibus præficiebantur.... Mox hujusmodi munera hæreditaria facta sunt, sicque antiqua feuda, non jam ut antea nomorum ducibus,

(1) Cf. supra, p. 42.
(2) Maspero, *Hist. Anc.*, p. 202.
(3) Maspero, *Hist. Anc.*, p. 272, 336.

sed regiæ domus principibus obvenerunt. Pharao interdum in Memphis aut Bubaste habitabat summamque potestatem pro modulo suo exercebat; at, de facto, Ægyptus in plura divisa est minoris notæ regna, quorum duces sensim sine sensu Pharaonis auctoritatem ita spreverunt ut ipsum regale nomen mercenariorum lybicorum armis sibi vindicaverint, legitimamque dynastiam, summopere diminutam, in Delta relegaverint (1). » Idem testatur inscriptio Piankhi, quæ inferiorem Ægyptum inter æmulos principes, qui titulo tenus altiori potestati subduntur, divisam ostendit (2).

XVII. — Has perturbationes forsan adhuc vivus novit Isaias; alias multo graviores quæ secuturæ erant capite XIX prædixit, dum Ægyptium contra Ægyptium, amicum contra amicum pugnaturum describit, vel principes Mempheos qui « deceperunt Ægyptum, angulum populorum, » Domino mittente « in medio ejus spiritum vertiginis, » ipsiusque vias pervertente. Quæ quidem prophetia mox ad eventum deducta est.

Quum Tharaca potestatem suam in totam Ægyptum extendisset, seipsum assyriacis principibus in Palæstina subrogare studuit. Apud Eltece vero Sennacherib ægyptiacum exercitum, æthiopicos duces, filiosque regis Ægypti profligavit, ut ex Assyriorum Annalibus narratur (3), inflatius sane, quum Assarad-

(1) Maspero, *Hist. Anc.*, p. 378 sqq.

(2) *R. P.*, vol. II, p. 79-104.

(3) « The charioteers and sons of the kings of Egypt, and the charioteers of the king of Meroe alive in the midle of the battle my hand captured. » G. Smith, *History of Sennacherib*, p. 59.

don primus sit qui prophetias Isaiæ penitus adimpleverit. Tharaca, etsi pugna apud Elteœ monitus, iterum adversus Assyrios congredi autumavit, ut narrat Assurbanipal, filius Assaraddon, qui tentamina Tharaca, regis Ægypti, adversus suum patrem ita describit : « In mea primı expeditione contra Makan et Meroe veni. Tirhakah, rex Ægypti et Æthiopiæ, cujus Esarhaddon, rex Assyriæ, pater genitor meus, ruinam perfecit, et cujus regionem occupavit. Ipse Tirhakah potestatem Assur, Istar, et magnorum deorum meorum dominorum despexit, confidit se in suis propriis viribus. Contra præfectos quos pater genitor meùs, in medio Ægypti constituerat ad occidendum, ad spoliandum, ad Ægyptum usurpandam, surrexit et consedit in Memphi, civitate quam pater genitor meus ceperat et in ditionem assyriacam redegerat (1). »

Assaraddon vero, « rex multitudinis, rex Assyriæ, regionis Hethæorum, Ægypti, Chus (Æthiopiæ)... rex regum Ægypti (2), » Tharaca regem prævertit et fugavit, potitusque est urbe Memphi, cum uxoribus, concubinis, ministris gazisque regalibus. Habes ex filio Assaraddonis, Assurbanipal, hæc gesta adversus Ægyptum enarrata : « Esarhaddon, rex Assyriæ, pater genitor meus, descendit et processit in medio ejus. Ruinam Tirhakah, regis Æthiopiæ, perfecerat ejusque vires dextruxerat. Ægyptum, Æthiopiam cepit et innumera spolia secum tulit;

(1) Inscriptio Assurbanipal, in Rassam-cylindro, (*W. A. I.*, vol. v, tab. 1-10, col. I, lin. 52 sqq.)

(2) « Assur-akha-iddina sar cissati sar mat Assur mat Khàtti, mat Mutsur, mat Cusi.... sar sarri mat Mu-tsur. » E. A. Budge, *History of Esarhaddon*, p. 17.

hanc regionem universam gubernavit et intra limites Assyriæ assignavit; priora nomina civitatum delevit, novaque instituit. Suos subditos tanquam principes, præfectos et gubernatores ibi collocavit. Munera ac tributa suæ majestati per annum offerenda, statutam pecuniam imposuit eis (1). »

Assaraddon subditam Ægyptum eadem mente tractavit atque ceteras domitas gentes. Ad principes ægyptiacos rursus imperium detulit, eos tamen vectigalibus subjecit et in assyriorum præfectorum qui exercitibus et rebus civilibus præessent, tutelam redegit. Hoc eo facilius evenit quod principes illi, Tharaca regis vexationibus oppressi, Assyriorum jugum fausti susceperant. Annales Assurbanipalis nonnulla ex his principibus nomina recensent : « Isti reges, præfecti et gubernatores, quos super terram Ægypti pater genitor meus constituit.... Necho, rex Mempheos et Sais. — Sarludari, rex Tsihnu (Zoan?). — Pisan-Hor, rex Natho. — Pakruru, rex Pi-Supt. — Puccunanahpi, rex Khatkhiribi. — Nakhæ, rex Khininsi. — Pudhubisti, rex Taneos. — Unamunu, rex Nadkhukharsiyaesu, rex Tsabnuti. — Buaiva, rex Bindidi. — Sheshonk, rex Busiris. — Tabnakhti, rex Bunubu. — Buccunanniahpi, rex Akhni. — Iptikhardiesu, rex Pizattikhurunpicu. — Nakhtikhuruansini, rex Pisabdinuti. — Buccur-ninip, rex Pakhnuti. — Tsikha, rex Siyaut. — Lamentu, rex Taini. — Mantimeankhu, rex Thebarum (2). »

Divisio autem Ægypti in plura æmula minutaque

(1) E. A. Budge, *History of Esarhaddon*, p. 111 sqq.

(2) E. A. Budge, *History of Esarhaddon*, p. 125 sqq. — Cf. Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band II, p. 161.

regna, quæ tempore Assaraddonis ad effectum adducta fuerat, semper crevit cum seditionibus Tharaca, Nechao et Psammetici (1) et sequentium ætatum irruptionibus; demum, quod primo aspectu satis mirum videtur, iterum apparet sub dominio Mamelucorum (anno 1783), qui Ægyptum viginti quatuor ducibus (*beys*) regendam tradunt, ita ut unus quidem ex eis in Cairo emineat, nomine Cheïk-el-beled (urbis præfecti) insignitus, subdatur tamen illius ministri (*pacha*) auctoritati, qui Sultani vicarius est (2). Ita per integra sæcula apparet verissimum Isaiæ effatum, quod divisionem Ægypti et regnorum factiones prænuntiat : « Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo (3). »

XVIII. — Præter interna dissidia quæ Ægyptum debilitaverunt, non minus in perniciem vertit sæva et immoderata principum potestas. Notandum enim est prophetias adversus Ægyptum latas peculiari charactere insigniri : teste propheta, inter gentes Juda dispergetur ibique doloribus et tormentis affectus permanebit; Ninive et Babylon prorsus destruentur. Ægyptus vero in imo luctu et occasu perstabit (4) : « Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium et rex fortis dominabitur eorum (5). » Ægyptus in æternum humiliabitur.

« Et erunt ibi in regnum humile. Inter cetera

(1) De hac tota periodo, cf. Lenormant, *Hist. anc. de l'Orient*, tom. II p. 373 sqq.

(2) Volney, *Voyage en Syrie et en Egypte*, 1792, p. 63.

(3) Is., xix, 3.

(4) Redford, *Prophecy*, p. 271.

(5) Is., xix, 4.

regna erit humillima et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos ne imperent gentibus.... Et destruetur superbia imperii ejus... et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, et urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt.... Et faciam alveos fluminum aridos et tradam terram in manus pessimorum... et dux de terra Ægypti non erit amplius.... Quum dedero terram Ægypti desolatam, deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores ejus (1). »

Hoc est summarium onerum contra Ægyptum, quorum nulla pars relinquitur quæ historia non confirmetur. Jam enim veteres Scripturarum commentatores adverterant hanc prophetiam cum historico statu congruere. Ægyptum enim Persæ trecentis et quinquaginta annis ante Christum occupaverunt, postea Macedones, dehinc Ptolemæi rexerunt circiter per ducentos et nonaginta quatuor annos. Anno trigesimo ante Christum, post Octaviani victorias, in romanam provinciam redacta est Ægyptus. Romano, demum constantinopolitano imperio tributum solvit; anno 641 Sarracenis, anno 1250 Mamelucis, qui a servitute ad dominium mire pervenerunt, subdita est. Turcarum tributaria anno 1517 facta est, et a novis dominis vilem imperii formam ita mutuata est, ut neque principem ex Ægypto oriundum, neque aliquam libertatem sibi mancipare dehinc potuerit.

Is ergo fuit decursu sæculorum Ægypti status, ut ex eo veteres commentatores prophetias adversus eam latas veras et ad effectum adductas æstimaverint.

(1) Ez., XXIX, 14, 15; XXX, 6, 7, 12, 13; XXXII, 15.

XIX. — At nostro sæculo firmiora argumenta rem confirmaverunt, et apertissime docuerunt regem illum fortem ab Isaia prænuntiatum (1) unum esse ex assyriacis principibus, qui Ægyptum sub potenti manu sua redegerunt. Jam novimus ab Assaraddone fugatos Æthiopes, regem Tharaca usque ad Napata fugientem, statuta passim præsidia ad dominium assyriacum stabiliendum. Quod si hæc omiserunt Herodotus Diodorusque Siculus, constat ex inscriptione lapidis Nahrel-Kelb et Annalibus Assurbanipalis, qui patrem Assaraddon a Mediterraneo mari usque ad Thebas imperium extendisse declarat eumque nominat « regem regum Ægypti et victorem Æthiopiæ (2). »

At si rariores sunt cuneiformes textus de Assaraddonis ægyptiaca expeditione, in solis Annalibus ipsius filii, Assurbanipalis nempe (3), et in duplici haud integro laterculo inveniendi (4), amplior textuum seges nobis offertur de rebus ab Assurbanipale contra Ægyptum tentatis.

XX. — Assurbanipal, filius natu major Assaraddonis qui patri successit, ab eo, post ægyptiacum bellum, imperio comes additus fuerat. Antequam autem vita fungeretur pater, infausta de Ægypto nuntiata sunt : ferebant regem Tharaca, profecto Niniven et ægrotante Assaraddone, clandestino consilio struxisse et comparasse copias, quæ secundo

(1) Is., xix, 4.

(2) Titulus ille legitur in marmoreo lapide e palatio Assaraddonis extracto, necnon in quodam aheneo leone ad Nebbi Yunus tumulum invento.

(3) *W. A. I.*, imprimis vol. V, tab. 10.

(4) G. Smith, *The Assyrian eponym canon*, p. 141. — Cf. E. A. Budge, *History of Esarhaddon*, p 115. — T. B. A. vol. IV, part I, 1875.

Nilo Thebas Memphinque ceperunt assyriacosque præfectos fugaverunt. Quæ statim ut cognovit Assurbanipal, per Syriam et Mediterranei maris littora exercitum adversus Ægyptum direxit, ad urbem Kar-Banit hostes debellavit, Thebisque potitus est. Tum integram regionem, prout pater ordinaverat, iterum constituit, finesque præsidiis munivit. Quia autem hostes usque in Æthiopiam non assecutus erat, post discessum ejus iterum adversus potestatem assyriacam insurrexit Tharaca, adjuvantibus principibus qui Ninivæ tributum solvebant. At assyriaci præfecti, de conjuratione facti certiores, nonnullis principibus catenas injecerunt, horridis cruciatibus eos affecerunt, et in niniviticos carceres miserunt, excepto Nechao, Memphis rege, qui honoribus muneribusque onustus rediit (1). Interea tamen Tharaca in Æthiopiam aufugit ibique paulo post obiit. Filius vero ejus, Urdamani, potestatis sedem Thebis constituit, Memphi potitus est, Assyrios superavit, inferiorique dominatus est Ægypto (2). Cognita vero ex nuntii testimonio clade, Assurbanipal alterum adversus Ægyptum bellum iniit.

XXI. — Jam imprimis effectum obtinet Isaiæ prophetia de Assyria, cujus « rex fortis dominabitur

(1) De mutabili Assurbanipalis animo cf. quæ referuntur a cl. v. Vigouroux, *La Bible et les Découvertes modernes*, tom. IV, p. 251-253.

(2) Hæc narratio tota contrahitur ex ipsis Assurbanipalis Annalibus quæ, quum longius esset eorum textus proferre, invenire poteris sive apud G. Smith, *History of Assurbanipal*, p. 15-30, sive apud Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band II, p. 152 sqq. — Cf. Oppert, *Mémoire sur les rapports de l'Egypte et de l'Assyrie*, p. 38-43, 80 sqq. — G. Smith, *Egyptian campaigns of Esarhaddon and Assurbanipal* in *Zeitschrift*, 1868, p. 91-94. — G. Rawlinson, *The five great Monarchies*, vol. II, p. 201, 202. — G. Smith, *History of Assyria*, p. 135 sqq.




Rex Assyriæ captivos obcæcat. (Pag. 66).

eorum (1). » Postquam Urdamani primum profugus a Memphi Thebas redierat, demum eas reliquerat ut ad Kipkip aufugeret, Assurbanipal Thebanam urbem, monumentis et ædibus præclarissimam, ultionis causa occupavit et evertit : res quæ in pretio erant, metalla, gemmas, pretiosas vestes; homines et feminas, ipsa etiam animalia, elephantos nempe et asinos, rapuit; duos immo obeliscos, triumphi signa, efferri jussit, ita ut tota urbs quasi turbine vastata visa fuerit (2).

Si vero ex his assyriacis Annalibus ad biblica testimonia te verteris, non aliter apud prophetam Nahum descriptam invenies ruinam urbis Thebarum, illius nempe נֹא אָמוֹן « quæ habitat in fluminibus, aquæ in circuitu ejus : cujus divitiæ, mare; aquæ, muri ejus (3). » Diu criticos fugit quamnam urbem propheta sub hoc nomine *No-Amon* significaverit. Hieronymus hic *Alexandriam* agnoscebat (4), non eam sane quæ ulterius condita est, sed pristinam urbem in eodem loco sitam. D. Calmet eam vocabat *Diospolim*, in Delta, ad unum e Nili ramis inter Busirin ad meridiem et Menden ad boream. Nec aliter censet ipse Champollio qui descriptionem a propheta Nahum factam perfecte congruere cum situ Diospoleos asserit (5). Quæ quidem interpretatio et ipsi Brugsch arridere videtur qui, postquam profitetur *Nai-Amun* « urbem Amon » unum esse ex nominibus Thebanæ urbis, quod he-

(1) Is., XIX, 4.
(2) Cf. varios auctores relatos, p. 66, ad notam 2.
(3) Nahum, III, 8.
(4) *In Is.* V.
(5) CHAMPOLLION, *L'Égypte sous les Pharaons*, tom. II, p. 131-133.

braice vertitur, quasi propriis litteris, in נא אָמוֹן (1), mox ulterius declarat descriptionem quam profert Nahum, omni verisimilitudine destitui, si eam Thebis applicare velis (2). Attamen jam de hac quæstione nullum dubium amplius existere potest, si Annalibus Assurbanipalis attendas. In istis enim inscriptionibus multiplici loco invenitur vox , *Ni-ah* (3), quæ respondet hebraico nomini נא; signum enim aspirationis  non aliter quam per א reddi poterat et vocalis ו a Massorethis huic nomini נא imposita testatur quo studio nisi fuerint ut sonus *o* in ægyptiacis vocabulis prævaleret (4).

Nec alia est conclusio, si duplici cuneiformi inscriptioni geographice incumbas, ubi de itinere Assurbanipalis in urbem No-Amon agitur.

a) Ex una enim aperte constat urbem No-Amon sitam esse meridiem versus a Memphi. Jam limites inferioris Ægypti invaserat Assurbanipal, cum Urdamani reliquit urbem Memphin ut in civitatem *No* solus aufugeret. « In mea secunda expeditione, versus Ægyptum et Æthiopiam intendebam iter. Urdamani progressum itineris mei audivit et quod jam transiveram limites Ægypti. Memphin reliquit et ad salvandam animam aufugit in *Ni-ah*. Reges, præfecti et gubernatores, quos super Ægyptum præposueram, coram me venerunt et osculati sunt pedem meum. Post Urdamani viam prosecutus

(1) Brugsch, *Dictionnaire géographique de l'Ancienne Égypte*, p. 28.

(2) *Ibid.*, p. 291.

(3) *W. A. I.*, tom. II, tab. 17, col. I, l. 90; tom. V, tab. 2, col. II, l. 31, 35, 36, 44 et passim.

(4) Cf. Oppert. *Mémoire sur les rapports de l'Égypte et de l'Assyrie*, p. 617-620.

sum; veni in *Ni-ah*, fortem civitatem : accessum mei potentis exercitus vidit, et *Ni-ah* reliquit, et aufugit versus Kipkip (1). » Ita descriptum iter assyriaci exercitus viam palam profert, nec patitur ut No cum Diospoli aut alia urbe in Delta unum et idem efficere possit, quum No ad meridiem Memphis situm declaret.

b) Nec minus ad dignoscendum No-Amon situm invenitur adjumentum in altera ejusdem Assurbanipalis inscriptione quæ, prælio indicto, subdit : « Urdamani aufugit solus et ingressus est in *Ni-ah*, urbem suam regiam. Per iter unius mensis et decem dierum, post eum advenerunt in medium *Ni-ah* (2). » Hic vero numerus dierum plane concordat cum intervallo quod medium est Memphin inter et Thebas, attentis itineris impedimentis (3).

Tandem, quidquid contradicat Brugsch (4), quia describitur urbs a propheta quasi inter Nili ramos jacens, cujus virtus et murus Nilus est, cum solis Thebis, in utraque fluminis ripa positis, confunditur (5). Unde merito concludere fas est, Assurbani-

(1) Inscriptio annalistica cylindri Rassam. *W. A. I.*, tom. V, tab. 2, col. II, l. 28, 37.

(2) G. Smith, *History of Assurbanipal,* p. 55.

(3) Cf. Oppert, *Mémoire* ... p. 85, 97. — Brugsch, *Die Geographie des Alten Ægyptens.*

(4) Brugsch, *Dictionnaire géographique de l'Ancienne Égypte*, p. 291.

(5) Brugsch, *Geographische Inschriften altægyptischer Denkmæler*, tom. I, p. 175. — Et si fas est adhuc aliqua ex intimo nuperrimi mei in Ægyptum itineris diario depromere, hæc in situ Luxor scripta referam :

« 9 avril 1890.... Délicieuse soirée! Adossé contre une colonne du temple de Luxor, je vois le Nil couler majestueusement à mes pieds, au milieu des merveilles qu'il a créées. Je voudrais pouvoir remonter le cours des siècles et revivre dans cette Thèbes aux cent portes, que le fleuve entoure comme d'une ceinture.... Derrière moi, sous un ciel d'azur que la nuit même ne saurait obscurcir, se détache une forêt de pylônes, d'obélisques, de statues gigantesques : c'est Karnak, où je crois voir encore la foule se

palem in Ægypto belligerantem, adimplendis propheticis oneribus adversus hanc regionem omni ope atque opera fuisse enisum.

XXII. — At vero, quemadmodum ninivitica potestas non una fuit quæ anathemata adversus Ægyptum ad effectum adduceret, ita, præter Isaiam, alii ejusdem regionis ruinam prophetizaverunt. Imperii chaldaici impetum qui, Nabuchodonosor regnante, Ægyptum penitus diruit, Jeremias et Ezechiel, a Deo electi, nuntiaverunt. Quorum effata diu impugnata sunt, et jam paucis abhinc annis Dr Kuenen rationalistarum argumenta colligebat, tum historiæ, tum hermeneuticæ titulo fretus (1). At ea de quibus historici scriptores hucusque siluerant, ægyptiaca chaldæaque epigraphia ita enucleavit ut prophetiarum fidem testetur.

Incipit Jeremias cladem regis Nechao ad Charcamis narrando, quia exinde Nabuchodonosor devincere cœpit Ægyptum, cujus exercitus, numero et armis optime instructus, ad pugnam incessit, sed subito terga vertit : unde qui, velut fluvius ripas suas transgrediens, terras occupare volebat, brevi devictus, turpiter fugatur.

« Ad Ægyptum. Adversus exercitum Pharaonis Nechao, regis Ægypti, qui erat juxta fluvium

précipiter dans les temples de ses dieux.... Devant moi, sur l'autre rive, se dressent les sommets du Biban-el-Molouk, brûlé, crevassé, lugubre comme les tombeaux royaux qu'il abrite. »

(1) « Les défenseurs de l'infaillibilité prophétique pèchent, à ce qu'il me semble, contre la critique historique et contre l'herméneutique, lorsqu'ils admettent que les prédictions de Jérémie et d'Ezéchiel ont été réalisées par les événements. » *Histoire critique des Livres de l'Ancien Testament*, 1879, p. 627.

Euphraten in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor, rex Babylonis, in quarto anno Joakim, filii Josiæ, regis Juda.

» Præparate scutum et clypeum, et procedite ad bellum. Jungite equos, et ascendite, equites; state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis. Quid igitur? Vidi ipsos pavidos, et terga vertentes, fortes eorum cæsos; fugerunt conciti, nec respexerunt; terror undique, ait Dominus. Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis : ad aquilonem juxta flumen Euphraten victi sunt, et ruerunt.

» Quis est iste, qui quasi flumen ascendit, et veluti fluviorum intumescunt gurgites ejus? Ægyptus fluminis instar ascendit, et velut flumina movebuntur fluctus ejus, et dicet : Ascendens operiam terram; perdam civitatem, et habitatores ejus. Ascendite equos, et exultate in curribus, et procedant fortes, Æthiopia et Libyes tenentes scutum, et Lydii arripientes et jacientes sagittas. Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis suis : devorabit gladius, et saturabitur, et inebriabitur sanguine eorum; victima enim Domini, Dei exercituum, in terra aquilonis juxta flumen Euphraten. Ascende in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Ægypti; frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. Audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus replevit terram, quia fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt (1). »

Postquam enim Psammetichus I, cum quo XXVI dynastia incœpit, jacens regnum erexerat, filius Nechao II, qui in locum ejus suffectus est, res assy-

(1) Jer., xlvi, 2-12.

riacas ita in deterius lapsas animadvertit, ut vetus Ægypti in Syriam imperium recuperare speraverit : hinc suum exercitum trans Mediterranei maris littora duxit per notissimum iter, quod jam a Pharaonibus XVIII et XIX dynastiæ tritum fuerat. Josiam in campo Mageddo profligavit, et ad septentrionem versus trans Charcamis (1) ivit, Euphratenque tandem victor attigit. Quæ autem inclyta victoria per tres solum modo annos felicem effectum obtinuit : anno enim 605, Nabuchodonosor, a patre missus, Nechao regem ad Charcamis superavit, eumque usque ad Ægypti fines prosecutus amissas provincias vi recuperavit.

XXIII. — Propheta vero non satis ducit cladem populo ægyptiaco extra suos limites progredienti minari : non solum ipsi evanescet dominii spes in Asiam, sed et sua regio ipsa vastabitur. « Hæc dicit Dominus : ecce ego tradam Pharaonem Ephree, regem Ægypti, in manu inimicorum ejus et in manu quærentium animam (2). »

Successor enim Psammetichi, Ouhabrâ, hebraice חָפְרַע qui in Vulgata *Ephree* et a Græcis *Apries* nominatur, adeo bellorum cupidus erat, ut in novam adversus Babyloniæ regem conspirationem præceps ruerit. Hic autem Palæstinam et postea Ægyptum invasit. Si Josepho fides adhibenda sit, Jeremiæ prophetia effectum obtinuisset quinque annis post dele-

(1) De Charcamis situ, cf. MASPERO, *De Carchemis oppidi situ*, Paris, 1873. — VIGOUROUX, *La Bible et les découvertes*, tom. IV, p. 289.

(2) JER., XLIV, 30.

tam Hierosolymam, victo et occiso Ouhabrâ, Ægyptoque de novo occupata (1).

Hoc sane non congruit cum Herodoti testimonio, qui narrat Apriem magnam cladem a Cyrenæis accepisse; quam quidem ipsi imputantes Ægyptii rebellaverunt, opinati se ab illo in apertam perniciem fuisse dimissos. Quos ut sedaret Apries, ad eos misit Amasin, qui nedum Ægyptios ad Aprien revocaret, ab ipsis rex declaratus, suum regem profligavit, in carcerem detrusit et tandem strangulandum suis subditis tradidit (2). Non ergo alludit Herodotus ad Nabuchodonosor, quum regis Apries occasum mortemque enarrat. Hoc autem silentium de facili explicatur ab eo qui fontes ab historico græco evolutos novit. Fidus auditarum rerum interpres, ægyptiorum sacerdotum verba retulit, qui adeo mendaces erant ut Herodotum de victoria Nechao apud Mageddo, non vero de graviore clade ejus ad Charcamis, certiorem fecerint. Non ideo miremur quod iidem forsan se externo jugo subditos, suæ superbiæ detrimento, fateri noluerint, regnante imprimis principe qui sacerdotium et divinum cultum protegeret, qualis revera, teste Herodoto (3) cum monumentis (4), fuerat Amasis.

Ceterum, apud Herodotum invenitur Amasin cum quodam externo principe conversatum fuisse. Eum enim, ait Herodotus, inter initia, Ægyptii contem-

(1) *Antiq. Jud.*, lib. X, cap. IX, § 7 : Ἀνέβαλεν εἰς τὸν Αἴγυπτον καταστρεψόμενος αὐτήν. Καὶ τὸν μὲν τότε βασιλέα κτείνει, καταστήσας τὲ ἕτερον....

(2) Herodot., *Histor.*, lib. II, § 161 sqq.

(3) Herodot., *Histor.*, lib. II, § 177.

(4) Cf. Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient*, tom. II, p. 411 sqq.


nebant, nec ullius sane momenti ducebant (1). Hunc contemptum Herodotus ex infima Amasis origine explicat, narratque qua fabula subditorum odium solerter exstinxerit. His autem Ægyptiorum animis comprobatur modum, quo in regem electus est Amasis, plebi non placuisse. Verisimillimum ergo apparet Amasin a Nabuchodonosor institutum fuisse, (ut apud Hierosolymitanos Sedecias), aut antea jam institutum, dehinc ab eodem stabilitum et in tributarium assumptum fuisse.

Nihilominus babylonica monumenta, etsi non verbis ita expressis atque Flavius Josephus, factum ipsa testantur. Duo nempe babylonici cylindri bellum a Nabuchodonosor in Aprien latum referunt; ægyptiaca quadam inscriptione illustrantur et utrinque nominatur Apries. Primus ægyptiacas effigies cum signis hieroglyphicis profert (2). Alius cylindrus hominem pingit cum leone pugnantem (3). Ambo vero

(1) Herodot., *Histor.*, lib. II, § 172.

(2) Quem J. Ménant plane descripsit et explicavit hisce verbis : « C'est un cylindre d'agate, malheureusement fort mal conservé.... On y distingue encore un personnage debout, dans le costume assyrien, une main élevée dans la pose traditionnelle de l'adoration. Derrière lui on aperçoit un singe, puis un homme qui, la tête tournée vers lui, paraît marcher dans un sens opposé. Dans le champ, en haut, entre les têtes des personnages deux croix ansées. De l'autre côté de la cassure, on voit l'extrémité inférieure d'un individu dont il ne reste plus que les pieds et le bas de la robe; mais cela suffit pour reconnaître un Égyptien. A ses pieds on distingue un épervier, le dernier signe d'une inscription en caractères hiéroglyphiques qui a disparu. Entre les personnages on trouve deux lignes d'écriture en caractères cunéiformes du style archaïque de Babylone, et dans le champ, entre les inscriptions et le premier personnage, un cartouche égyptien surmonté d'un aigle; en haut la croix ansée.... La première ligne du texte assyrien n'est pas complète; on y lit les trois premiers signes du nom propre *Kariri*...; mais la fin manque, la seconde ligne nous donne *Naram-Bin*, littéralement celui qui adore *Bin*, l'adorateur du Dieu Bin. » *Notice sur quelques cylindres orientaux*, p. 10, 11.

(3) Wiedemann, *Nebucadnezar und Ægypten* in *Zeitschrift*, 1878, p. 89.

regis Apries clypeum  inducunt et forsan a babylonicis captivis fabricati sunt, dum Nabuchodonosor adversus Ægyptios pugnabat. Quidquid sit, regem Aprien cum Nabuchodonosor, eo tempore, aliquid rationis habuisse testantur (1).

XXIV. — Non autem melior regioni quam ipsi regi sors accidit. Jamdiu referebant prophetæ Ægyptum ab invadentibus Chaldæis penitus evertendam esse. Jeremias, cum civibus in exsilium missus, Taphnis (2) constiterat, ubi ipsi factus est sermo Domini : « Sume grandes lapides in manu tua et abscondes eos in crypta, quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris judæis, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Ecce ego mittam et assumam Nabuchodonosor, regem Babylonis, servum meum; et ponam thronum ejus super lapides istos quos abscondi, et statuet solium suum super eos; veniensque percutiet terram Ægypti, quos in mortem, in mortem, et quos in captivitatem, in captivitatem, et quos in gladium, in gladium; et succendet ignem in delubris deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos, et amicietur terra Ægypti sicut amicitur pastor pallio suo, et egredietur inde in pace; et conteret statuas domus Solis quæ sunt in terra Ægypti, et delubra deorum Ægypti comburet igni (3). »

(1) Vigouroux, *La Bible et les découvertes*, tom. IV, p. 375.
(2) Knabenbauer, *in Jerem.*, p. 491. — *Dublin Review*, 1880.
(3) Jer., XLIII, 9-13.

Non minus explicite in capite XLVI eversio prædicatur : « Verbum quod locutus est Dominus ad Jeremiam prophetam, super eo quod venturus esset Nabuchodonosor, rex Babylonis, et percussurus terram Ægypti.

» Annuntiate Ægypto, et auditum facite in Magdalo, et resonet in Memphis, et in Taphnis dicite : Sta, et præpara te, quia devorabit gladius ea quæ per circuitum tuum sunt. Quare computruit fortis tuus? Non stetit, quoniam Dominus subvertit eum. Multiplicavit ruentes, ceciditque vir ad proximum suum, et dicent : Surge, et revertamur ad populum nostrum, et ad terram nativitatis nostræ, a facie gladii columbæ. Vocate nomen Pharaonis, regis Ægypti : Tumultum adduxit tempus. Vivo ego (inquit rex, Dominus exercituum nomen ejus), quoniam sicut Thabor in montibus, et sicut Carmelus in mari, veniet. Vasa transmigrationis fac tibi, habitatrix filia Ægypti ; quia Memphis in solitudinem erit, et deseretur, et inhabitabilis erit.

» Vitula elegans atque formosa Ægyptus; stimulator ab Aquilone veniet ei. Mercenarii quoque ejus, qui versabantur in medio ejus quasi vituli saginati, versi sunt, et fugerunt simul, nec stare potuerunt, quia dies interfectionis eorum venit super eos, tempus visitationis eorum. Vox ejus quasi æris sonabit; quoniam cum exercitu properabunt, et cum securibus venient ei quasi cædentes ligna. Succiderunt saltum ejus, ait Dominus, qui supputari non potest; multiplicati sunt super locustas, et non est eis numerus. Confusa est filia Ægypti, et tradita in manu populi aquilonis. Dixit Dominus exercituum, Deus Israel :

Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ, et super Pharaonem, et super Ægyptum, et super deos ejus, et super reges ejus, et super Pharaonem et super eos qui confidunt in eo. Et dabo eos in manu quærentium animam eorum, et in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis, et in manus servorum ejus (1). »

Ezechiel, e terra captivitatis, Jeremiæ consonabat et proximam Ægypti ruinam prænuntiabat :

» Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, Pharao, rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et ponam frenum in maxillis tuis et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt. Et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui; super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis; bestiis terræ et volatilibus cœli dedi te ad devorandum. Et scient omnes habitatores Ægypti quia ego Dominus, pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel; quando apprehenderunt te manu, et confractus es, et lacerasti omnem humerum eorum; et innitentibus eis super te comminutus es, et dissolvisti omnes renes eorum.

» Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego adducam super te gladium, et interficiam de te hominem et jumentum. Et erit terra Ægypti in desertum et in solitudinem; et scient quia ego Dominus, pro eo quod dixeris : Fluvius meus est, et ego feci eum. Idcirco ecce ego ad te, et ad flu-

(1) Jer., xlvi, 13-26.

mina tua; daboque terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, a turre Syenes, usque ad terminos Æthiopiæ. Non pertransibit eam pes hominis neque pes jumenti gradietur in ea, et non habitabitur quadraginta annis. Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, et civitates ejus in medio urbium subversarum, et erunt desolatæ quadraginta annis; et dispergam Ægyptios in nationes, et ventilabo eos in terras... et collocabo eos in terra Phatures, in terra nativitatis suæ, et erunt ibi in regnum humile. Inter cetera regna erit humillima, et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos ne imperent gentibus....

» Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonosor, regem Babylonis, in terra Ægypti; et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus; et erit merces exercitui illius et operi quo servivit adversus eam. Dedi ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus....

» Cap. xxx. — Fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ululate; væ, væ diei! Quia juxta est dies; et appropinquat dies Domini, dies nubis; tempus gentium erit. Et veniet gladius in Ægyptum; et erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta ejus. Æthiopia, et Lybia, et Lydi, et omne reliquum vulgus, et Chub, et filii terræ fœderis, cum eis gladio cadent.

» Hæc dicit Dominus Deus : Et corruent fulcientes Ægyptum, et destruetur superbia imperii ejus; a turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus

exercituum. Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, et urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt; et scient quia ego Dominus, cum dedero ignem in Ægypto, et attriti fuerint omnes auxiliatores ejus. In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus, ad conterendam Æthiopiæ confidentiam; et erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet.

» Hæc dicit Dominus Deus : Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis. Ipse et populus ejus cum eo, fortissimi gentium, adducentur ad disperdendam terram; et evaginabunt gladios suos super Ægyptum, et implebunt terram interfectis. Et faciam alveos fluminum aridos, et tradam terram in manus pessimorum; et dissipabo terram, et plenitudinem ejus, manu alienorum. Ego Dominus locutus sum.

» Hæc dicit Dominus Deus : Et disperdam simulacra, et cessare faciam idola de Memphis; et dux de terra Ægypti non erit amplius, et dabo terrorem in terra Ægypti. Et disperdam terram Phatures, et dabo ignem in Taphnis, et faciam judicia in Alexandria. Et effundam indignationem meam super Pelusium, robur Ægypti; et interficiam multitudinem Alexandriæ. Et dabo ignem in Ægypto : quasi parturiens dolebit Pelusium, et Alexandria erit dissipata, et in Memphis angustiæ quotidianæ. Juvenes Heliopoleos et Bubasti gladio cadent, et ipsæ captivæ ducentur. Et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Ægypti, et defecerit in ea superbia potentiæ ejus; ipsam nubes operiet, filiæ autem ejus in captivitatem ducentur. Et judicia

faciam in Ægypto; et scient quia ego Dominus....

» Fili hominis, brachium Pharaonis, regis Ægypti, confregi; et ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis, et fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset tenere gladium. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad Pharaonem, regem Ægypti, et comminuam brachium ejus forte, sed confractum; et dejiciam gladium de manu ejus. Et dispergam Ægyptum in gentibus, et ventilabo eos in terris. Et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus, et confringam brachia Pharaonis, et gement gemitibus interfecti coram facie ejus. Et confortabo brachia regis Babylonis, et brachia Pharaonis concident; et scient quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis, et extenderit eum super terram Ægypti. Et dispergam Ægyptum in nationes, et ventilabo eos in terras, et scient quia ego Dominus (1). »

Quæ jam de Isaia diximus Ægypti ruinam prænuntiante, Jeremiæ et Ezechieli applicari possunt. Hi enim subtilius facta evolvunt, præsertimque futuris Nabuchodonosor incursibus immorantur quos ex ægyptiacis chaldaicisque monumentis comprobare licet.

XXV. — Statua naophora, quæ effigiem præfecti cujusdam ægyptiaci, nomine Nes-hor, refert, inscriptione quadam magni momenti insignitur. Hic regioni ad meridiem sitæ præerat, eamque non solum

(1) Ez., XXIX, 3 — XXX.

adversus exteras gentes tuebatur, sed imprimis in libertatem vindicabat. Elephantinæ, in æde fere regia, habitabat, struebat templa, munera lautissima diis offerebat. Quod ad Nabuchodonosor attinet, sic se habet : « Erigi mihi signum jussi ; per quod nomen meum æternum manebit ; non peribit in templo, quia curam posui in domo [deorum], postquam injuriam passa est ex Amu (Semitis), ex populis septentrionalibus, ex gentibus Asiæ, scelestis... qui [male egerunt] in mente sua ; nam percurrere et vastare Terram superiorem [superiorem Ægyptum] erat in mente eorum. Terror Regis apud eos minimus erat : exsecuti sunt consilia quæ in corde suo conceperant. Impedivi quominus usque ad Ta-Kens pervenirent (1). Eos adduxi ad locum in quo sedebat Rex ; Rex autem eis cladem paravit (2). »

Ex his concludendum est, regnante Apries, ab Asiaticis (Amu) et populis qui Ægyptum septentrionalem incolebant, meridionalem regionem occupatam fuisse, Elephantinam obsessam, et in hac urbe dirutum fuisse templum Khnoum seu *Domini Kenûs* vel *Nubiæ*, *Domini cataractarum*, *Domini Elephantinæ*, ubi postea Nes-Hor suam statuam erigi jussit. Non potuerunt tamen ultra primam Nili cataractam progredi, utpote qui ab Apries pulsi fuerunt. Hinc Ezechielis prophetiam adimpleverunt Assyrii, qui finem a propheta statutum attigerant. « Daboque

(1) Hodie Kenûs, olim Kens, in insula Konosso, insulæ Philæ proxima. — Cf. Brugsch, *Geographische Inschriften*, tom. I, p. 150.

(2) Wiedemann, *Der Zug Nebucadnezar's gegen Ægypten* in *Zeitschrift*, 1878, p. 4. — Kircher, *Obelisci Ægyptiaci interpretatio*, tab. 137. — Clarac, *Musée de sculpture antique et moderne*, tom. II, pl. 246-248. — Pierret, *Recueil d'Inscriptions*, p. 21 sqq. — *R. P.*, vol. VI, p. 79 sqq.

terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, a turre Syenes usque ad terminos Æthiopiæ (1). »

XXVI. — Aliud bellum a Nabuchodonosor contra Ægyptum directum est, de quo, unicus forsan, historicus laterculus nobis loquitur qui in Britannico Museo asservatur ; etsi graviter truncatus, hæc tamen verba legenda præbet : « Lin. 13.... Anno 37° Nabuchodonosor regis terræ [Babyloniæ]....

Lin. 14. In Ægyptum ad pugnandum ego [ivi]....

1. [Copias Ama] su (Amasis) rex Ægypti congregavit.

2. [suum exercitum] movit.

3... littora maris....

4... tributum mediæ terræ, Ægypti [tuli].

5... 15000 (?) milites (?), equos, currus (?)... (2). »

Cetera aut desiderantur aut vix legi possunt. Quod sane bellum cum antecedente et sub Apries rege inito confundi non potest. Forsan illud est quod Eze-

(1) Ez., xxix, 10.

« 25 Avril 1890.... Je sors de chez le gouverneur d'Assouan, un bon gros colonel égyptien, dont j'apprécie vivement le charmant accueil et, par une température de près de 60 degrés, la fraîche limonade. Il veut me donner une escorte pour me faire visiter sa capitale ; mais je préfère errer seul et à l'aventure à travers les bazars, puis le long du fleuve, resserré en tous sens et coupé par des blocs de basalte, où sa vague, d'ordinaire si calme, vient se briser en écumant.... Je me suis oublié bien tard et bien imprudemment au milieu des carrières. Mais le spectacle est si grandiose par ce magnifique clair de lune, qui fait scintiller de mille feux ces blocs de syénite et de granit rose, où l'on a taillé à loisir les pharaons gigantesques de tous les temples ! Aujourd'hui une autre puissance presque pharaonique domine encore la situation : c'est celle de l'Angleterre, fièrement campée avec ses troupes au sommet d'un mamelon couronné d'une forteresse regardant la Nubie au sud, l'Égypte au nord, et rappelant singulièrement la tour de Syène dont parle quelque part Ezéchiel. »

(2) Wiedemann, *Nebucadnezar und Ægypten* in *Zeitschrift*, 1878, p. 87-88. — E. Schrader, *Weitere Bemerkungen zu der Nebucadnezar-Inschrift*, *ibid.*, 1879, p. 46.

chiel capite XXX descripsit. Hoc tamen ex historicis documentis nequit pro certo haberi.

XXVII. — Objicient quidam Ezechielem Herodotumque invicem opponi; alter enim in Mizraim ruinam et dedecus nuntiat; alter de floridissimo regno Amasis agit, quo tempore Ægyptus erat maxime beata in iis quæ regioni ex flumine, vel hominibus ex regione proveniebant, sicut et in urbibus quæ tunc incolebantur numero mille et viginti (1). Hujus prosperi status monumenta etiamnum superstant (2).

Quæ objectio, ut solvatur, sequentia animadvertenda sunt. Potuit primum Ægyptus nonnisi per partes et non diuturno nimis tempore occupari; potuit etiam post pacem iterum florere aut saltem fictæ fortunæ indulgere. Deus deinde, ut decreta impleat, non uno ictu, sed gradatim operatur. Quæ Nabuchodonosor peragere incipit, a Cambyso perficientur, ita ut, eo tempore, Ezechielis prophetia penitus effectum obtineat. Ad regnum enim Ptolemæis pervenientibus, nihil ex antiqua Ægypto remanebat : plures quidem urbes, Bubastis imprimis, teste Herodoto, instauratæ fuerunt. At deinceps pristina libertas in indefinitum occidit. XXVIII dynastia, quæ per centum circiter integros annos extenditur, series est Persarum regum a Cambyso usque ad Darium Nothum decurrens. Quidquid per septuaginta annos ab Ægyptiis ad recuperandum pristinum statum tentatum sit, ad summam potestatem, regnante Ochus, evecti sunt Persæ : quod dominium usque ad

(1) Herodot. *Histor.*, lib. II, § 177.

(2) Wilkinson, *Manners and customs of the Egyptians*, tom. I, p. 177.

decessores Alexandri Magni, qui Romanos antecesserunt, extenditur. Sic comprobatur Ezechielis vaticinium : « Et erunt ibi in regnum humile. Inter cetera regna erit humillima et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos ne imperent gentibus (1). »

XXVIII. — Non solum tamen dirigebantur prophetarum minæ adversus Ægyptum, sed etiam solatia quædam miscebantur : ipsi enim ruinam in salutem vertendam esse declarabant. Subito Isaias, a quo non disjungendus est Jeremias (2), prospera quæ Ægypto post sæcula eventura sunt, contemplatur : « In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. Erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti; clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa; et colent eum in hostiis et in muneribus; et vota vovebunt Domino, et solvent. Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam; et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos.... In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio; benedictio in medio terræ cui benedixit Dominus exercituum dicens : Benedictus populus meus Ægypti (3).... »

Arduum quidem esset hæc omnia sensu mere litterali evolvere; qui autem futurorum sæculorum even-

(1) Ez., XXIX, 14-15.
(2) JER., XLVI, 26.
(3) Is., XIX, 19-25.

tus apud Isaiam requirit, ille est qui fide nixus Ægypti redemptionem a Messia ejusque vocationem supernaturalem prædicat, quique in hac prædictione considerat : « Illud adorationis genus quod revera Deo offert Ecclesia catholica, quodque quum jam in vetere fœdere, id est in umbra exsisteret, perfectiore ac sublimiore modo in novo exhiberi debet, uti ipsa ratione typi ad impletionem, umbræ ad veritatem suo jure exigitur. Consequuntur autem vi verborum sacrificia et vota Dei cognitionem, idque merito; nam quo perfectius cognoscitur Deus, eo sublimior desideratur cultus quo homo quam maximum Deo rependat honorem et quam plenissime suam testetur devotionem; utrumque autem perfectissime fieri per sacrificia et vota, ex ipsa horum notione facile colligitur. Unde simul perspicitur verbis prophetæ non designari pro tempore messianico cultum solum oratione vel verbi Dei annuntiatione constantem, sed describi adorationem actibus sacrificii et votorum præclaris exhibitam (1). »

Quum enim ruit paganorum doctrina, circa Nilum Ecclesia florida plurium decursu sæculorum cum regno Dei et justitia ejus instituitur. Multi per deserta Thebaidis sanctitate effulserunt; multi Alexandriæ doctrina fideque conspicui floruerunt, multi pro Christi nomine terram hanc sanguine suo consperserunt. Ægyptus quidem pristina pietate sub Mahumetanorum jugo destituitur; nunc autem catholica Ecclesia coram errore stat, templa erigit, crucem extollit, ita ut ad ripas Nili et in situ Luxor effectum consequi videatur prophetæ verbum : « In die illa erit altare

(1) Knabenbauer, *in Isaiam*, I, p. 393.

Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus (1). »

(1) Is., xix, 19. — Quod quidem Isaiæ effatum mihi præsertim hæsit, quum in situ Luxor degerem ; ibi enim scribebam : « 10 Avril 1890.... Presque en face du somptueux Luxor-Hotel se dissimule une très modeste chapelle italienne, pauvre et recueillie comme la mission franciscaine dont elle est l'église. Adossée contre le temple de Luxor et disparaissant presque dans l'ombre de son superbe voisin, elle a pourtant sa croix et son humble façade qui se voient au loin dans la plaine; déjà sur le fleuve sa silhouette m'avait réjoui, au milieu de cette solitude de la Haute-Égypte, d'où Dieu semble avoir fui. Je le retrouvais là pour la première fois depuis le Caire : n'était-ce point l'autel, qu'Isaïe voyait à travers les âges, au milieu de la terre d'Égypte?... » *Journal de voyage.*

CAPUT III

Onus contra Niniven.

XXIX. — Potestas ninivitica tantum apud prophetas locum obtinet ut fere necessarium evadat, si rem enucleate tractare velis, hujus imperii historiam breviter ad mentem revocare.

Assyriæ nomen, aut ex una inter antiquissimas ejus urbes, aut ex quodam inter præcipua quæ ibi colebantur numina, ortum ducit (1); ea erat regio quæ inter Euphraten et Tigrim jacet et in qua urbes Assur (Kalah-Chergat), Calach (Nimrud), Dur-Sargon (Khorsabad), Ninive (Koyundjik) alternis vicibus eminuerunt. De origine regionis, etsi jam primis Genescos (2) capitibus designatæ, nihil nisi ambiguum et obscurum satis relinquitur. Quæ primum novimus ex Pharaonum Annalibus enarrantur; florente nempe XVIII dynastia, quæ regibus Pastoribus circa annum 1662 ante Christum successit, Thoutmes III per septemdecim annos quatuordecim

(1) De origine vocis *Assyria*, utrum nempe ascribenda sit civitati, vel deo hujusce nominis, cf. SCHRADER, *Cuneif. Inscriptions and the Old Testament*, vol. I, p. 35 sqq. — *T. B. A.*, vol. VIII, p. 359, *Biblical nationalities..*, by H. RASSAM.

(2) GEN., II, 14; XXV, 18.

stipendia victor meruit. Postquam ad Mageddo hostes profligavit, ad Euphraten properavit (1) : circa annum 1584, novimus a principe quodam assyriaco ligna cedrina, armillas et cæruleos lapides in tributum præstita fuisse (2). Eodem anno plurimos currus, quorum unus et triginta aureis laminis induebantur, unus etiam puro auro fabricatum fuerat, diripuit rex Thoutmes apud Khetas, quorum imperium circa septingentesimum annum ante Christum eversum est.

Ex assyriacis inscriptionibus nihil ante 1100 annum novimus; nec aliud antea apud nos innotuit præter illa quæ tum pacem, tum bellum inter Assyriam et Babyloniam testantur (3). Salmanasar in ædificandam Calach totus incubuit (4); Babylonia potitus est Teglath-Adar, non tamen armis parta tuitus est, quippe cujus sigillum a Chaldæis, acceptam cladem sane reddentibus, correptum, post sexcentos annos Babylone Sennacherib recuperaverit (5).

Post ducentos annos, Teglathphalasar I usque in

(1) *R. P.*, vol. II, p. 35 sqq.

(2) *R. P.*, vol. II, p. 20 sqq.

(3) J. Ménant, *Annales des Rois d'Assyrie*, p. 23 : « Karaindas, roi du pays de Kar-Dunias (la Basse Chaldée), et Assur-Belnisissu, roi du pays d'Assur... se lièrent par un traité réciproque qui régla leurs conventions. — Busur-Assur, roi du pays d'Assur, et Purnapuryas, roi du pays de Kar-Dunias, firent un traité pour établir entre eux leurs conventions respectives. » *W. A. I.*, vol. II, tab. 65.

(4) *Ibid.* « La ville ancienne de Kalakh avait été bâtie par Salman-Asar, roi du pays d'Assur.... » *W. A. I.*, vol. I, tab. 26, col. III, l. 132.

(5) *Ibid.* Ex laterculo Sennacherib : « Teglath-Adar, roi des nations, fils de Salman-Asar, roi du pays d'Assur, a conquis le pays de Kar-Dunias.. . Ceci était écrit sur le sceau.... Ce sceau fut enlevé du pays d'Assur et d'Akkad pendant une guerre; moi, Sin-akh-irib, roi du pays d'Assur, après 600 ans, j'ai conquis Bah-ilu et j'ai enlevé ce sceau du trésor de Bab-ilu. » *W. A. I.*, tab. 4, nº 11.



ASSURNAZIRPAL. (Pag. 93).

Armeniam processit, imaginem suam in rupe circa Tigridis fontes sculpi jussit, tres et octoginta reges vicisse cæsisque eorum corporibus montes stravisse gloriatus est. Quæ armis peregerat, domi adæquavit, permultisque ædificatis monumentis nobilitatus est; circa finem vero vitæ devictus, Babylonem captivus deductus est (1).

XXX. — Assyriæ laudem a successoribus ejus attenuatam circa 884 annum iterum extulit Assurnazirpal, « rex, dominus, potens, colendus, civitatum eversor; » qui tamen immanitatem suam jactat, et ultimos cruciatus quibus « imperante Assur, » ut ait, devictos affecit, non solum enarrat, sed etiam in anaglyptis cum propria imagine effingit (2).

Attamen, dum Assurnazirpal in occidentales regiones arma vertere nunquam ausus fuisset, filius ejus Salmanasar II (860-824) primus cum Israel profligare autumavit, evertit fœdus adversus Assyrios initum ab *Hadidri* (Benhadad II), rege damasceno, ab *Akkabu-Sirlai* (rege nempe Israel, Achab) et a novem aliis regibus quos Ægyptus et Ammon sustentabant. Postea ereptorem Hazael devicit, et tributum ab *Jahua, filio Khumri,* accepit, de qua ditione non in Bibliis, sed in obelisco Nimrud mentio invenitur (3).

(1) J. Ménant, *Annales des Rois d'Assyrie*, p. 33 sqq.

(2) *Ibid.*, p. 64 sqq. — *R. P.*, III, 39. — Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band I, p. 50, 128. — Cf. Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient*, tom. IV, p. 166.

(3) Schrader, *Cuneif. Inscriptions and the Old Testament*, vol. I, p. 179. — *R. P.*, vol. V, p. 29, 42. — Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band I, p. 128, 165. — Cf. Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient*, tom. IV, p. 186 sqq.

Hanc vero quinque regum dynastiam vi evertit Phul seu Teglathphalasar II (745-727). Qui rex, tam in disponendis rebus conspicuus quam in gerendis fortis, devictos populos relegare inchoavit, suisque exercitibus duces seu *Tartan* præfecit. Post tres obsidionis annos Arphad superavit, tributum a rege Manahem accepit, et hortante Achaz rege Juda, in Syros et Israel invectus est, Phacee necavit ejusque in locum Osee substituit, plerosque septentrionalium regni finium incolas deportavit. Exinde septentrionali Syriæ imperavit et in Merodach-Baladan, babylonicum regem, dominium exercuit.

Regnante filio et successore ejus, Salmanasar IV, rex Israel Osee, ægyptii Schabak auxilio nisus, conjurare tentat adversus Niniven; mox in exsilium captus ducitur (1). Samariam, per tres annos obsessam, occupat Sargon, quem militum libido, anno 722, in Assyriæ solium evehit.

XXXI. — Hæc nova et inclyta Sargonitidum dynastia præclarissimis Assyriorum temporibus viget (2) : ea nempe ætate, imperium ejus a mare Caspio ad Persicum sinum, a Tigride ad Mediterraneum mare extenditur, scientiarumque et artium studio, sacerdotum collegiis, scribarum et architectorum fama illustratur.

Sargone ab ignoto interfectore necato, anno 704, regnavit filius ejus Sennacherib quem pro-

(1) IV (II), Reg., xvii, 4.

(2) De fastis hujusce dynastiæ fundatoris, cf. J. Oppert et J. Ménant, *Grande Inscription de Khorsabad.* — J. Ménant, *Annales des Rois d'Assyrie*, p. 155 sqq. — Schrader, *Keilinschriftliche Bibliotek*, Band II, p. 34, 81.



JUDÆI CORAM REGE SENNACHERIB URBEM LACHIS OBSIDENTE

pheta Nahum *vastatorem* vocat (1) : revera ut deus a populis cultus est, qui pedes ejus osculabantur et ante eum frontem in pulverem dejiciebant. Quum solus Ezechias ei restitit (2), Sennacherib, pacatis orientalibus regionibus, regem Juda sociumque regem Tharaca obterere properavit. Novimus ex Annalibus ejus pœnam latam adversus Accaron, quæ regem Padi tradidit, hierosolymitanam obsidionem, inclusionem Ezechiæ, « tanquam clausi volucris in cavea intra Jerusalem » (3), tributumque a rege Juda solutum. « Ipsum Ezechiam timor potentiæ majestatis meæ obruit, et speculatores et ipsius fortes milites, quos ad muniendum Jerusalem ingredi jussit; et in ditionem venerunt cum 30 talentis auri, 500 talentis argenti, pretiosis lapidibus,... ad perferenda tributa et peragendam ditionem misit suos nuntios (4). »

Jam vero obsessa Hierosolyma nonnisi Isaiæ promissis confidebat, quæ ita felicem exitum obtinuerunt ut Sennacherib, divina clade obrutus, Assyriam ad summum retro repetierit; ibi viginti post annos a duobus necatus est filiis, qui, utpote ad utendum scelere incapaces, anno 680, fratris natu minoris Assaraddon sub potestate sese subje-

(1) Nah., II, 2.

(2) IV (II) Reg., xviii, 7.

(3) *Taylor Cylinder*, col III, lin. 20.... Sa-a-su kima issuri ku-up-pi ki-rib Ur-sa-li-im-mu. « Ipsum conclusi quasi volucrem in cavea, in Jerusalem. »

(4) *Ibid.*, lin. 29..... Su-u Ha-za-ki-a-u 30. pul-ḫi mi-lam-mi bi-lu-ti-ia is-ḫu-pu-su-ma 31. amiluti Ur-bi u amiluti sabani-su damkûti 32. sa a-na dun-nu-un ir Ur sa-li-im-mu ma-ḫaz sar-ru-ti-su 33. u-si-ri-bu-ma ir-su-u bi-la-a-ti 34. it-ti xxx bilti hurasi dccc bilti Kaspi ni-sik-ti.... 40. arki-ia u-si-bi-lam-ma a-na na-dan man-da-at-ti 41. u i-pis ardu-u-ti is-pu-ra rak-bu-su.

cerunt. Assaraddon omni ope atque opera nisus est ut provincias a patre amissas recuperaret, fines extenderet, Ægyptoque et Æthiopia potiretur, ita ut jure nominari potuerit « rex multitudinis, rex terræ Assur, terræ Ægypti, terræ Æthiopiæ (1). » Morbo confectus, præ timore ægyptiaci tumultus, potestatis socium sibi adjunxit Assurbanipal, qui post duos annos, circa annum 668, solus regnavit.

Ipse est qui potestatem per quadraginta ferme annos adeo egregie exercuit ut assyriacum imperium niniviticamque laudem ad summum extulerit apicem. Asper simul et fortis, optime jam, regnante patre, de populis meruerat validissimisque præerat exercitibus qui hoc tempore delecti fuerint; vere omnes præ se ferebat notas ex quibus flagella Dei dignoscuntur. Imperium suum ita stabilivit, ut eo mortuo jam nihil ruinam ejus portenderit (2). Tamen, post duos principes quorum nomina incerta remanserunt, ruit Ninive cum tota assyriaca potestate (3).

XXXII. — Urbs tamen Ninive caput erat Assyriæ et ad eum splendorem pervenerat post obrutas æmulas urbes, Assur nempe, Calach et Dur-Sargon. Ei sane plures assyriaci reges alias regiones antepo-

(1) *W. A. I*, vol. I, nº 5 : Assur-ah-iddin sarru rabû 2.... Sar kissati sar mât Assur.... 4. Sar Sarri mât Mutsur 5.... mât ku-si.

(2) Cf. E. A. W Budge, *History of Esarhaddon.*

(3) Ad ampliorem hujusce assyriacæ historiæ cognitionem, cf. Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient.* — Maspero, *Histoire ancienne.* — Rawlinson, *Ancient Monarchies.* — J. Ménant, *Annales des Rois d'Assyrie.* — G. Smith. *Ancient History from the monuments.* — A. Sayce, *Assyria, its princes, priests and people.* — Oppert, *Histoire des empires de Chaldée et d'Assyrie.*

suerant, utpote amœnitate aut salubritate præstantes. At Sennacherib eam iterum incoluit, ibique aulam regiam, in media urbe, summa magnificentia ædificavit (1). Eam clarus vir Layard (2) invenit aulam, vocatam Koyundjik ex nomine proximi vici, qui collem superat in cujus latere ædificata sunt monumenta Sennacherib.

Jam antea Ninive una ex præclarissimis Assyriæ urbibus exstiterat, quod non sane ex ipsis prorsus ædibus destructis, sed ex certis argumentis æstimatur. Templa celeberrima ibi exstructa erant; Assurubalid, qui situm Assur ut nimis Babyloniæ affinem parvi pendebat, intra Niniven templum Istar dicaverat in ipsius alterius templi ruinis, quod ab antecessore quodam Samsi-bin ædificatum fuerat. Postea Salmanasar I non Assur contempsit, sed Ninive, in regia quam exstruxit aula, habitavit (3). Exhinc Assurnazirpal et Salmanasar II, antequam in Calach alias possiderent aulas, in hostes ruebant. Demum Niniven seu *Ninua* adiit Sennacherib, ut post devictos reges Juda et Ægypti otio frueretur, ceterosque reges splendore superavit; cujus eximium opus, quod ad nos usque ex parte pervenit, perfecerunt Assurbanipal et Assaraddon; ita urbis dilatati sunt fines, ut muris, turribus, crepidinibus superbierit, dignaque fuerit quæ a propheta Nahum *munitionum*

(1) De variis magnisque structuris, quibus regi Sennacherib referendis urbs Ninive gloriabatur, cf. G. Smith, *History of Sennacherib*, Part XI, *The Buildings of Sennacherib*, p. 140 sqq.

(2) Layard, *Nineveh and its remains*, vol. I, p. 9, 131 sqq., et passim. — Cf. J. Ménant, *Annales des Rois d'Assyrie*, p. 152 sqq. — G. Smith, *Assyrian Discoveries*, p. 135. — Vivien de Saint-Martin, *Le Tour du Monde*, 1863, nº 176, 177.

(3) G. Smith, *Assyria*, p. 24 sqq.

suarum laudes acciperet (1). Qui quum imperarent supradicti principes, Assyria omnia armis subegerat, aut commeatibus sibi conciliaverat, ita ut tum prædam ex integra Asia sibi acquisiverit, tum mercium pretio divitias vicinarum gentium ad se traxerit. At exinde etiam in odium pluribus venerat; meminerant enim Judæi cladium suarum tribuumque in Tigridis oras relegatarum : ibi passus erat Tobias, ibi prædicaverat Jonas, et ingemuerant permulti contribules. Hinc Niniven, post Assurbanipali bella floridissimam, Deo fretus, humilis propheta Nahum impugnavit ejusque ruinam nuntiavit (2) : quæ quidem temporis conditio observanda est, ut prophetiæ pondus recte perpendatur, fortitudo prædicetur, ipsiusque futuri præcognitio demonstretur.

(1) Nah. III, 12, 14. — Agitata potius quam soluta est quæstio de loco et situ Ninives, circa tempus quo summopere florebat. Ut probabiliorem sententiam sequamur, videtur nobis vocabulum « Ninive » stricto vel largo sensu usurpari posse. Coram enim urbe Mossul, qualis nunc etiam exsistit, ultra flumen surgit duplex collis, alius nempe, cui nomen *Koyundjik*, ad septentrionem, alius, nomine *Nebi-Yunus*, circa meridiem : ibi stetit ipsa urbs Ninive, aula regia Sennacherib et Assaraddon; integræ enim aulæ sub his collibus repertæ sunt : inscriptiones etiam et lateres qui hoc nomine « Ninive » insigniuntur, rem ultra controversiam ponunt. At latiore sensu, eodem nomine coadunabantur urbes, ædes et arces quæ inter Tigrim et influentem amnem Zab ædificatæ fuerant, quales sunt imprimis Nimrud et Khorsabad; ita intelligi potest superficies non solum urbis proprie dictæ, sed regionis integræ quam dicit Jonas, III, 3, trium esse dierum.

(2) Quum de propheta Nahum, qui dicitur *consolator* נחום, fere nihil extra limites ipsius vaticinii inquirendum sit, de ipsius vita et opere loqui supervacaneum duximus : quædam tamen prænotanda sunt. Attenta ejus prophetia, illum vixisse in terra Juda, tempore Manasses, innuitur (I, 15; II, 1); quam quidam sententiam tuetur sanctus Hieronymus, quippe qui prophetæ cognomini *Elcesæo* innititur, ipsiusque cognominis originem ducit ex vico Elcesi, in Galilæa : « Cum Helcesæi usque hodie in Galilæa viculus sit, parvus quidem et vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Judæis et mihi quoque a circumducente monstratur. » (*Proleg. in Nah.*). Cf. Relandi, *Palæstina*, *Elcesi*, p. 748. — Hodie

XXXIII. — Quale autem sit vaticinii Nahumi argumentum, titulus ipse *Onus Ninive* satis arguit. Ruina enim urbis et imperii Ninivitarum prophetæ unicum erat objectum. Pro Judæis quidem Ninive archetypus erat hujusce « meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis (1). » Unde missio prophetica erat proferre et describere ipsius insignem ruinam et vastationem : quod triplici sermone conficit, a principiis generalibus ortus et ad particularia descendens, ad obsidionem nempe Ninives, expugnationem et ruinam, ipsius iniquitatis justam pœnam. Octo

Elkôzah (Map of Palestine Exploration Fund 1880). — Nec aliter censet Hitzig, qui Capharnaum interpretatur « vicum Nahumi, » ex rabbinica ceterum traditione quæ, teste Rabbi Schwarz (*Das heilige Land*, p. 149), tumulum Nahumi ad septentrionem Tiberiadis, itinere unius circiter horæ, ponit. Alia tamen auctorum schola Nahumum in Assyria vixisse prædicat, quorum patronus forsan fuit Benjamin Tuletanus, qui narrat a se ejus synagogam et tumulum anno circiter 1170 visitata fuisse. Hæc vero traditio unice innititur nomini cujusdam vici, *Alkosch*, duorum dierum itinere a Mossul septentrionem versus distantis, nequaquam locorum exploratione firmatur, teste Layard sic scribente : « The tomb is a simple plaster box, covered with green cloth standing at the upper end of a large chamber. On the walls of the room are slips of paper, upon which are written, in distorded hebrew caracters, religious exhortations and the dates and particulars of the visits of various Jewish families. The house containing the tomb is a modern building. There are no inscriptions, nor fragments of any antiquity about the place; and I am not aware in what the tradition originated, or how long it has attached to the village of Alkosh. » *Ninive and its remains*, vol. I, p. 233. — Sed de hac assyriaca Nahumi commoratione quidquid tentaverit Ewald, multo probabilior evadit opinio, quæ Nahumum ex Galilæa oriundum præbet. Cf. Knabenbauer, *In Prophetas minores*, tom. II, 1 sqq.

Sed si quæstio de origine Nahumi adhuc in varias partes agitatur, jam idem dubium de ejus ætate, etsi per longum tempus viguerit, non amplius perseverare potest. Capite enim III, 8, 10, constat prophetiam editam esse paulo post urbem No-Amon captam. Urbs vero illa nil aliud esse ac Thebas in Ægypto superiore, ab Assurbanipal dirutas, ex cuneiformibus inscriptionibus certo constat. (Cf. supra p. 69). Unde anno 664 ante Christum circiter assignanda est hæc Nahumi prophetia.

(1) Nah., III. 4.

strophis constat prophetia, quæ sic exponendæ sunt:

1. Initium sumit propheta a generali principio, quo statuitur Jehovam esse Deum æmulatorem et ulciscentem qui, etsi patiens sit, injuriam nunquam dimittit inultam. Nec illi, cujus est potestas super montes et mare, iniquitas obstare valet. (I, 1-6.)

2. Hoc principium urbi Ninive applicatur. Deus refugium fit sperantibus in eum; sed in diluvio prætereunte vastabit civitatem. Nonne ipse est Jehovah, contra quem hostium copiæ, sicut spinæ complexæ, ab igne urbem tueri non valebunt? Nonne et ipse Sennacherib (*consulens Belial*) propter prævaricationem cum acie sua ad nihilum redactus est? Unica sed ultima afflictio erit Ninivitis. (I, 7-12.)

3. In tertia stropha vicissim alloquitur propheta Judam et Niniven; uni quidem promittitur liberatio, alteri vero principum et deorum suorum exterminatio. Si enim nuntii pacis Judæ annuntiant bona, ecce ascendunt hostes qui Niniven, etsi munitam, destruent. (I, 13. II, 2.)

4. Cujus urbis obsidio et ruina vivide describuntur. Circumstant Medi, quorum clypeus rubefactus, vestis coccinea, currus igneus. Assur quidem recordabitur fortium suorum; sed corruunt incedentes ad mœnia et ad defensionem urbis properantes. Non jam amplius tempus est. Portæ fluviorum apertæ sunt, palatium commovetur. Huzzab (?) in captivitatem ducitur, ejusque ancillæ, more columbarum gementes, pectus suum cædunt. Fugit habitantium multitudo, nec ullus est qui, clamitantibus bellatoribus: State, state, retro revertatur. (II, 3-8.)

5. Vastata est civitas: « Diripite argentum, diri-

pite aurum, » clamant Medi unus ad alterum, quum non sit divitiarum finis. Unde vacua evadit civitas, præ timore exterrita; ubinam nunc leo et pascua catulorum? Hora judicii in Niniven advenit : vox nuntiorum ipsius in aure populorum non annuntiabitur. Væ huic civitati sanguinum plenæ, mendaciorum et criminum! (II, 9. III, 1.)

6. Sola vox auditur equitum et curruum qui super multitudinem cadaverum ascendunt in hac civitate, propter sua maleficia ita devastata, ut unusquisque ab ipsa fugiat. (III, 2-7.)

7. Cur enim melior evaderet sors urbi Ninive, quam insigni urbi No-Amon, seu Thebis, cui aquæ Nili tanquam muri inserviunt, cujusque fortitudo est Ægyptus et Æthiopia, Africa et Libya? Parvuli elidentur in capite viarum, nobiles in captivitatem ducentur, principes catenis obruentur. Ninive despecta erit sicut ebria; ipsius populus debilis sicut femina inter hostes, ejus portæ pandentur, vectesque devorabit ignis. (III, 8-13.)

8. In vanum enim laboraverunt exstruendo turres et munitiones, quas comedet flamma. Hostes erunt sicut locustæ omnia devorantes, dum dormitant pastores et latitat populus in montibus. Mortali plaga percussa est Ninive et nullus est qui manibus non plaudat super urbem, cujus malitia in omnes transiit. (III, 14-19.)

Huic præterea prophetiæ elencho textum ipsum subjicere imprimis præstat.

XXXIV. — « Cap. i. — Onus Ninive. Liber visionis Nahum Elcesæi. Deus æmulator et ulciscens

Dominus. Ulciscens Dominus et habens furorem; ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare et exsiccans illud et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit. Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt; et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? Et quis resistet in ira furoris ejus? Indignatio ejus effusa est ut ignis, et petræ dissolutæ sunt ab eo.

» Bonus Dominus et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ. Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet; non consurget duplex tribulatio. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium; consumentur quasi stipula ariditate plena. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.

» Hæc dicit Dominus : Si perfecti fuerint, et ita plures, sic quoque attundentur, et pertransibit; afflixi te, et non affligam te ultra. Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula tua disrumpam. Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius ; de domo dei tui interficiam sculptile, et conflatile; ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es. Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas,

et redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus interiit.

» Cap. ii. — Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem; contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel; quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt. Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis; igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, et agitatores consopiti sunt. In itineribus conturbati sunt, quadrigæ collisæ sunt in plateis; aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

» Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis; velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum. Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum. Et miles captivus abductus est; et ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis. Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus; ipsi vero fugerunt. State, state! et non est qui revertatur. Diripite argentum, diripite aurum; et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. Dissipata est, et scissa, et dilacerata; et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus, et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.

» Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc, catulus leonis, et non est qui exterreat? Leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis, et implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum,

et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et leunculos tuos comedet gladius, et exterminabo de terra prædam tuam, et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.

» Cap. III. — Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena : non recedet a te rapina. Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis, et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ; nec est finis cadaverum, et corruent in corporibus suis.

» Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua; et ostendam gentibus nuditatem tuam et regnis ignominiam tuam. Et projiciam super te abominationes, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum. Et erit : omnis qui viderit te, resiliet a te, et dicet : Vastata est Ninive. Quis commovebit super te caput? Unde quæram consolatorem tibi?

» Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu ejus; cujus divitiæ, mare; aquæ, muri ejus. Æthiopia fortitudo ejus et Ægyptus, et non est finis; Africa et Libyes fuerunt in auxilio suo. Sed et ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem; parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum et super inclytos ejus miserunt sortem, et omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus. Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta; et tu quæres auxilium ab inimico.

Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis; si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. Ecce populus tuus mulieres in medio tui; inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos.

» Aquam propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones tuas; intra in lutum, et calca, subigens tene laterem. Ibi comedet te ignis, peribis gladio, devorabit te ut bruchus; congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta. Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cœli, bruchus expansus est, et avolavit. Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris; sol ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum ubi fuerint. Dormitaverunt pastores tui, rex Assur; sepelientur principes tui, latitavit populus tuus in montibus, et non est qui congreget. Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam compresserunt manum super te; quia super quem non transiit malitia tua semper (1)? »

XXXV. — Non aliud prædixerat Isaias, quum superbiam Assyriorum, qui in flagellanda gente judaica divini mandati limites excesserant, confringendam esse declaraverat.

Cap. x. — « Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum pla-

(1) Nah., I-III.

tearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit; sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.

» Dicet enim : Numquid non principes mei simul reges sunt? Numquid ut Charcamis, sic Calano? Et ut Arphad, sic Emath? Numquid non ut Damascus, sic Samaria?

» Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Jerusalem et de Samaria. Numquid non sicut feci Samariæ et idolis ejus, sic faciam Jerusalem et simulacris ejus? Et erit : cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion et in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur et super gloriam altitudinis oculorum ejus.

» Dixit enim : in fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi : et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentis. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum; et sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi : et non fuit qui moveret pennam et aperiret os et ganniret.

» Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est.

» Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem : et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne et Sanctus ejus in flamma : et succendetur, et devorabitur spina ejus et vepres in die una. Et gloria saltus ejus et carmeli ejus ab

anima usque ad carnem consumetur et erit terrore profugus. Et reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, et puer scribet eos. Et erit in die illa : non adjiciet residuum Israel et hi qui fugerint de domo Jacob inniti super eo qui percutit eos, sed innitetur super Dominum Sanctum Israel in veritate. Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo; consummatio abbreviata inundabit justitiam. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

» Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum : Noli timere populus meus habitator Sion, ab Assur : in virga percutiet te et baculum suum levabit super te in via Ægypti. Adhuc enim paululum modicumque, et consummabitur indignatio et furor meus super scelus eorum. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petra Oreb et virgam suam super mare et levabit eam in via Ægypti.

» Et erit in die illa : Auferetur onus ejus de humero tuo et jugum ejus de collo tuo et computrescet jugum a facie olei. Veniet in Ajath, transibit in Magron : apud Machmas commendabit vasa sua. Transierunt cursim ; Gaba sedes nostra : obstupuit Rama, Gabaath Saülis fugit.

» Hinni voce tua, filia Gallin. Attende Laisa, paupercula Anathoth. Migravit Medemena : habitatores Gabim, confortamini. Adhuc dies est, ut in Nobe stetur : agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Jerusalem.

» Ecce dominator Dominus exercituum confringet laguncula in terrore, et excelsi statura succidentur et sublimes humiliabuntur. Et subvertentur condensa saltus ferro : et Libanus cum excelsis cadet (1). »

XXXVI. — Nec absonus erat Sophonias judicium divinum promulgans in illam speciosam Niniven, quæ ponetur « in desertum, cubile bestiæ.... Et extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur, et ponet speciosam in solitudinem, et in invium et quasi desertum. Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium; et onocrotalus et ericius in liminibus ejus morabuntur; vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo : Ego sum, et extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertum, cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam sibilabit, et movebit manum suam (2). »

XXXVII. — Recte igitur filium suum et nepotes suos monebat Tobias : « Prope erit interitus Ninive.... Nunc ergo, filii, audite me, et nolite manere hic; sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc; video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei (3). »

XXXVIII. — Porro post aliquot annos adimpletæ sunt prophetarum exsecrationes. Licet de Assurba-

(1) Is., X, 5, 34.
(2) Soph., II, 13, 15
(3) Tob., XIV, 6, 12, 13.

nipalis successoribus et Ninives exitio hucusque taceant cuneiformia monumenta, sat lucida de his temporibus documenta, collatis tum Bibliorum, tum græcorum historicorum testimoniis, proferuntur.

Non constat inter criticos de Assurbanipalis morte, quam alii cum Lenormant (1) ad annum 637, alii cum G. Smith ad annum 626 (2) referunt; de successoribus autem ejus, acrior « adhuc sub judice lis est. » G. Smith duos admittit successores, quorum prior, ut ipse ait, Bel-zakir-iskun nominatur : ille est de quo cylindrum quemdam in colle Koyundjik adinvenit, ita tamen ut nullum historicum testimonium exinde deduci valeat (3). Posterior est, ex eodem auctore, Assur-edil-ili, de quo hucusque una inscriptio permansit de templo in Kalach ædificato. « Ego, Assur-edil-ili, rex multitudinum, rex terræ Assur, filius Assur-bani-pal, regis multitudinum, regis terræ Assur, præcepi de terra ducendos laterculos ad construendam Bit-Zidda, sitam in urbe Kalach, ad multiplicandos dies meos (4). » Alii contra critici, tertium post ambos introducunt regem Assaraddon II, quem cum Sarakos, juxta Joannem Abydenum et Syncellum, immerito confundunt; innituntur nempe quibusdam inscriptionum fragmentis, quas de ruina Ninives agere autu-

(1) Lenormant, *Histoire Ancienne de l'Orient*, tom. IV, p. 378.

(2) G. Smith, *Ancient History : Assyria*, p. 177.

(3) Hujusce inscriptionis textum invenire est in *W. A. I.*, vol. I, tab. 8, n. 6, ejusque translationem apud G. Smith, *Assyrian discoveries*, p. 382. — Cf. Schrader, *The Cuneif. Inscriptions*, tom. II, p. 46, ad notam.

(4) *W. A. I*, vol. I, tab. 8, n. 3. — Cf. J. Ménant, *Annales des rois d'Assyrie*, p. 295.

mant (1). Quidquid sit, certum remanet assyriacam potestatem tunc temporis ruisse, dum vicinæ gentes in dies crescerent.

XXXIX. — At a rege Psammetico mota Ægyptus iterum Assyriam æmulata est et impugnavit. Postquam enim secessit Assurbanipalis exercitus, Psammeticus Philistinorum urbes aggressus est, Gazam evertit et Azotum obsedit : cujus defuncti, anno 612 ante Christum, filius Nechao II bellum cum Assyrio persecutus est.

Nec tutior Assyriis erat orientalis eorum finis. Hic enim novum assurgebat imperium quod medicas tribus, per duo integra sæcula, a Salmanasaro II ad Assaraddonem, assyriaca potestate vexatas aut occupatas, in unum coadunavit : ut firmiores et validiores evaderent, illæ tribus duci cuidam Dejoces, quem assyriacæ inscriptiones Dahyaukâ vocant, sese subdere non dubitaverunt. Dum Assurbanipal adversus Ægyptum, Babyloniam et Ælam procul pugnabat, Medi potestatem suam ita extenderunt, ut Phraortes, Dejocis successor, patris dominium ampliaverit et Persia, ad Mediæ meridiem jacente, potitus fuerit.

Idem Phraortes, defuncto Assurbanipale, tentavit

(1) Hæc fragmenta de verbo ad verbum vertit A. Sayce, in *Babylonian Literature*, p. 79-80. — Cf. *R. P.*, vol. xi, p. 79. — Criticus ille, quia tabularum litteræ deterius exarantur, exinde concludit regium decretum eo tempore prodiisse quo Ninive aut obsidebatur, aut in eo erat ut caperetur; etsi hæc subtiliora videantur, notare libet nomina Assaraddonis, « regis Assyriæ » Kaztaritu aut Cyaxaris « regis Kar-Kassi, » alibi « regis Mediæ, » Mamitassu, regis Mediæ necnon et Cymmeriorum, Medorum, Minni, qui obsident Khartam et Cisassu, septentrionales Assyriæ urbes; præcipit rex ut centum diebus centumque noctibus, ad placandos deos fugandosque hostes, jejunetur.

Assyriam aggredi; ne vero solus periculis obnoxius fieret, tempus arripuit quo Babylonia adversus Assyriam, rebus publicis perturbatis, insurgebat. Conatus est Assyriæ rex hunc fere desperatum, tum ex parte Psammetici, qui ad occidentem Azotum impugnabat, tum ex parte Mediæ et Babyloniæ, statum in melius mutare. Duos coegit exercitus, quorum alter adversus Babyloniam, duce Nabopolassar, directus est : qui jussus est Babyloniam totamque Persici sinus regionem subdere, et post victoriam titulo regis Babyloniæ insignitus est; alter vero ab ipso ninivitico rege ductus adversus Medos incedit, eos debellavit et usque ad Rages insecutus est, Phraorte in acie occiso. Cyaxarus autem, qui Phraorti successit, cladem quam pater acceperat hosti reddidit, Assyrios ultra proprios fines consectatus est, eorumque regionem occupavit. Jam in eo erat ut Niniven infestis peteret armis, quum undique irruerunt barbari, tum Scythæ, tum Cymmerii, qui ex Caucasi verticibus præcipites, Mediam, Persiam, Armeniam, Mesopotamiam, Asiam minorem et Syriam vastaverunt. Eæ sane sunt turbæ de quibus initio prophetiæ agit Jeremias : « Ecce quasi nubes ascendet; et quasi tempestas currus ejus, velociores aquilis equi illius. Væ nobis! quoniam vastati sumus.... Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra ejus quasi sepulcrum patens, universi fortes.... Ecce populus venit de terra Aquilonis, et gens magna consurget a finibus terræ. Sagittam et scutum arripiet; crudelis est et non

miserebitur ; vox ejus quasi mare sonabit ; et super equos ascendent præparati quasi vir ad prælium (1).... »

Ut testatur Herodotus (2), Scythæ Mediam invaserunt, duce Madye, Cyaxarum devicerunt et in occidentalem Asiam usque ad Ascalon progressi sunt nec prius circa Ægypti fines steterunt quam a rege Psammetico ditissima munera acceperint. Etsi stabili et vero imperio condendo impares fuerint (quidquid falso refragetur Herodotus), ingentem effecerunt vastitatem, quam non sane ex cuneiformibus inscriptionibus, sed ex monumentis urbium quæ circa Niniven stabant, concludere fas est ; sic in ruinis Nimrud, ex una parte, apparent lautissimæ ædes a vastatoribus subito eversæ, ex alia vero, nova ædificia, tum tenuia, tum rudia, quæ curas incolarum, præpropere post cladem, inter perpetua pericula elaborantium, testantur (3).

Scythæ tamen, ut supra diximus, tam immensum dominium exercere non potuerunt et, teste iterum Herodoto (4), confecti sunt a Cyaxaro, qui duces eorum in cœna ebrios necavit copiasque facilius dispersit. Eodem tempore, rex Ninives, forsan Bel-zakir-iskun, a Scythis, pessimis sane sociis, congestas ruinas reficere conatus est : frustra tamen, quippe qui, sicut et ipsius successor Assur-edil-ili, potius nomine quam re in vicinas gentes potestatem exercuerit.

Interea vero Nabopolassar, qui imperium firmiter Babylone constituerat, debilem niniviticum regem


(1) Jer., IV, 13 ; V, 15-17 ; VI, 22-23.

(2) Herodot., *Histor.*, l. I, § 103.

(3) Cf. Lenormant, *Lettres Assyriologiques*, tom. I, p. 81 sqq. — Layard, *Nineveh and Babylon*, vol. II, p. 655.

(4) Herodot., *Histor.*, lib. I, § 106.

evertere studuit, novaque beneficia postulavit, quibus negatis sui juris plane factus est. Tum circa annum 610, Nechao, Ægypti regem, in socium sibi junxit : mere enim ægyptiacum est uxoris ejus nomen, Nitocris, *Net-aker,* (nox victrix), quod



Assyriaca scuta. (Pag. 114).

etiamsi in cuneiformibus documentis nondum repertum sit, hujusmodi fœdus verisimiliter testatur. Exinde majorem natu filium Nabuchodonosor filiæ Cyaxari, Amytis, eo tempore despondit, quo Scythæ ab eo fugabantur; tunc a Cyaxaro postulavit ut adversus Assyrios una impetum facerent.

Quæ consilia non solum comprobata sunt a Cyaxaro, sed ab ipso Armeniæ rege, cujus atavi Assyriis infensissimi usque fuerant. Fœderati, anno 609 certamen ita instituerunt, ut rex Ninives undique circumdaretur.

XL. — De eo exercitu agit Nahum his verbis : « Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem.... Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis; igneæ habenæ currus.... (1) » Cujus descriptionis diligentiam perpendere licet, si arma assyriaca, haud dissimilia ceterum ab armis Medorum et Chaldæorum vel in monumentis depicta, vel per sæcula usque ad nos translata, consideres (2). Nec minus recte coccineis militum vestibus Æliani assertum concordat (3), juxta quem mos erat medis militibus vestes induere coccineas, sicut et Persis, teste Xenophonte (4), qui a Medis hunc modum mutuati erant.

Quod autem de curribus prædicit propheta (5)


(1) Nah., II, 1, 3.

(2) Cf. Layard, *Nineveh and Babylon*, I, 193, 194, ubi clypei assyriaci imagini depictæ subjungitur ipsius descriptio : « A few specimens have alone been preserved, including the head of a weapon resembling a trident, and the handles of some of the swords (?), which, being partly in bronze, were lest eaten away than the rest. The shields stood upright, one against the other, supported by a square piece of brick work.... They are of bronze and circular, the rim bending inwards, and forming a deep groove round the edge. The handles are of iron, and fastened by six bosses or nails, the heads of which form an ornament on the outer face of the shield. The diameter of the largest and most perfect is 2 feet 6 inches. Although their weight must have impeded the movements of an armed warrior, the assyrian spearmen are constantly represented in the bas-reliefs with them. »

(3) Ælian., *Var. Hist.*, 6.

(4) Xenoph., *Cyr.*, I, 3, 2; VIII, 1, 3.

(5) בְּאֵשׁ־פְּלָדֹת הָרֶכֶב Nah., II, 4. — Falso vertitur פְּלָדָה per *faces*. Etsi enim hæc vox sit ἅπ. λεγ., attamen nullatenus cum alia voce subsequenti,



Curruum assyriacorum conspectus. (Pag. 117).

pulchre designat illos Assyriorum currus, variis astrorum imaginibus ornatos, quos stricte describit O. Strauss : « Assyriorum currus, quales in monumentis conspicimus, horrent fulgentibus rebus, seu e ferro, seu e chalybe factis, securibus, arcubus, sagittis clypeisque et quibusve instrumentis, equi coronis rubrisque cirris, temones denique fulgentibus solibus lunisque apparent distincti; quo adde armatos milites, curribus instantes; quibus rebus omnibus fieri non potuit, quin radiis insuper solis collustrati, cum ingenti celeritate volitantes, flammarum conspectum referrent. » (1).

XLI. — Primus Nechao II, Ægypti rex, adversus Assyrios surrexit (2). Quo duce, Ægyptii idem susceperunt iter quod, pluribus ante sæculis, regnantibus XVIII et XIX dynastia, Pharaones ad Euphraten duxerat; non poterant Assyriam petere, quin meridionales regni Juda fines transirent. Nechao autem Josiam, hierosolymitanum regem, de bona ac

litteris alternatis, לַפִּידִים, confundi debet. Ipsius radix inquirenda est in voce פְּלָדָה ، ܦܠܕܐ ، فَالُوذٌ ، فُولَاذٌ. Hic ergo non agitur de curribus falcibus armatis, qui ante Cyri tempora adhuc incogniti erant, sed de ornamentis ex acie ferri structis, quæ, curribus insita et sub solis radiis refulgentia, ipsis curribus igneam speciem præbebant, juxta Vulgatæ translationem, *igneæ habenæ curruum.*

(1) Cf. Layard, *Nineveh and its Remains*, vol. II, 348, sqq.

(2) Quidquid de hoc aliqui senserint, Nechao ille de quo agitur IV (II) Reg., XXIII, 26 : « In diebus ejus (Josiæ) ascendit Pharao Nechao, rex Ægypti, contra regem Assyriorum, » nusquam in inscriptionibus cuneiformibus indicatur. Apud Annales Assurbanipalis quidem quæstio est de aliquo rege Ægypti Nechao, *Ni-ku-u sar ir Mi-im-pi u ir Sa-ai*, « rex urbis Memphis et urbis Sais. » *W. A. I.*, tom. III, tab. 17, l. 92. — Cf. Smith, *History of Assurbanipal.* p. 30. — Schrader, *The Cuneif. Inscriptions*, tom. II, p. 43. Ille vero Nechao, qui apparet inter plures principes Assyriis subjectos, usque ad annum 664 tantum pervenit; unde vixisse nequit tempore Josiæ, qui anno 639 rex Jerusalem evectus est.

benevola sua voluntate frustra certiorem fecit; Josias enim, utpote qui Assyriæ deditus subditusque remaneret, iter intercepit, et a Nechao, quasi invito defensionemque dissuadente, profligatus est, et mortifero vulnere ictus (1). Tum Ægyptii iter perrexerunt, et urbi Charcamis offenderunt quæ, inter occidentalem orientalemque Asiam, et in medio hethæarum provinciarum sita, eo majoris momenti erat, quod in hoc celeberrimo emporio persæpe trajiceretur Euphrates (2). Qua urbe Nechao potitus est et ibi præsidium reliquit, Assyriis erepta regione quæ inter Euphratem et Mediterraneum mare protenditur; potestatis sedem in urbe Riblah, prope Hamath, tam strenue constituit, ut verum in vicinas gentes dominium exercuerit, et ibi permanserit usque dum a Nabuchonosor cæderetur. Eo sane accersivit Joachaz, regem Juda, quem a magistratu dejicit et cui fratrem Eliacim, filium Josiæ, cujus nomen vertit in Joakim (3), subrogavit; item regionem centum talentis argenteis et uno aureo mulctavit.

(1) IV (II) Reg., xxiii, 29.

(2) Diu disputatum fuit de situ oppidi Charcamis. A nonnullis æstimabatur cum Circesio confundi et eo loco ponenda esse, quo in unum conjunguntur Chaboras et Euphrates. Idem oppidum alibi situm docebat Maspero (*de Carchemis oppidi situ*, Paris 1873,) ad ripam nempe fluvii Euphratis, a quo distans erat tria circiter stadia, juxta fontem quemdam Mabog nomine. — Quæ vero pluribus abhinc annis de hujusce civitatis situ ex inscriptionibus cuneiformibus referuntur, his theoriis subscribere non sinunt; primusque infelix ille G. Smith, die 26ª Martii 1876, paucos dies ante ipsius obitum, hunc situm determinabat. (Cf. Smith diaria apud F. Delitzsch, *Wo lag das Paradies?*, p. 266.) Charcamis enim, hebraice כַּרְכְּמִישׁ sæpe sæpius in inscriptionibus assyriacis apparet sub nomine *Gar-ga-mis* (cf. Delitzsch, *op. cit.*, p. 265), et ita sive directe, sive indirecte, describitur ut necessario ponendum sit in ripa dextra Euphratis, ad septentrionem fluminis Sajur, in loco tumuli qui dicitur Djerablûs, ubi quondam vigebat præclarum caput imperii Hethæorum.

(3) IV (II) Reg., xxiii, 34-36.

XLII. — Niniven ipsam Medi et Babylonii una obsederunt; quomodo res carptim peractæ sint, non ex genuinis et assyriacis documentis, sed ex mero veterum historicorum testimonio novimus : huic autem ut adhærere pigeat, nihil prorsus impellit. Nabopolassar, Babyloniæ rex, ad meridiem cum Arabibus processit, dum Medi, duce Cyaxaro, ad orientem cum Persis Armenisque sociis properabant. Exercitus impugnantium quadringentis millibus hominum constabat : qui tamen ab Assyriis bis fugatus est et in montes Zagros retro actus; demum, post tertiam cladem, in Babyloniam regressus est. Tum fœderati auxilia arcessiverunt a Bactriis, et assyriaca castra noctu oppresserunt. Ipse rex Niniven aufugit, copiasque fratri suo Salman commisit; quo cæso et trucidato obsessa est Ninive, quæ tantis commeatibus abundabat totque propugnaculis muniebatur, ut per duos integros annos restiterit; ineunte autem tertio obsidionis anno, Tigris, insolitorum imbrium incremento auctus, muros secus plura stadia ita subruit ut facile urbem invaserint hostes et diripuerint (1), dum rex, omni spe orbatus, cum uxoribus et gazis in propria æde clausus, in ignem se conjecit.

XLIII. — Quæ ita ab historicis viris narrantur, tum cum prophetarum dictis, tum cum recentius inventis monumentis conferre juvat.

Sic plura Nahumi loca de modo quo urbs capta fuit agere videntur. Recte enim loquitur de umbraculo, quod ad defensionem civitatis præparabitur (2). Illud


(1) Ctesias, apud Diod. Sic., II, 24-27.

(2) Nah., II, 5, *Hebr.* : וְהֻכַן הַסֹּכֵךְ *et præparabitur operimentum.*

autem umbraculum vel operimentum apud Assyrios in usu esse ex monumentis pluribus constat, nec aliud est nisi *testitudinis* genus quoddam, sæpe sæpius in turris formam, rotis motæ et arietibus munitæ, quam, variis umbraculis tectam, prope mœnia admovere facile erat. Quum autem arces in montibus arte suggestis ædificarentur — sicuti in campis Assyriæ aut Babyloniæ mos erat — impugnantes lapidibus, lignis et terræ tumulis, devexum struebant aggerem, quo turris ad mœnia moveretur. De his etiam agit Isaias, cum adversus Sennacherib talia profert : וְלֹא־יִשְׁפֹּךְ עָלֶיהָ סֹלְלָה, *et non mittet contra eam (Jerusalem) aggerem* (1). Alias, testitudo, cum turris formam non simulabat et arietem tantum continebat, tunc operiebatur panno quodam, fimbriis, ornamentis deorumque imaginibus decorato (2).

XLIV. — Non solum autem tormentis, sed ipsis elementis vexati sunt obsessi Ninivitæ, sicuti prædixerat Nahum : « Dominus... in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus.... Portæ fluviorum apertæ sunt et templum ad solum dirutum (3). » De sensu horum versuum non semel inter criticos disputatum est. Vocabulum sane שֶׁטֶף *inundatio*, aliquando per similitudinem urbem aut regionem significat a multis hostibus occupatam, sicut invenitur apud Is., VIII, 7; Dan., XI, 26, 40; sed et sensu proprio intelligi, et, metaphora rejecta, tanquam veri eventus prævia descriptio haberi potest. Cui

(1) Is., XXXVII, 33. Cf. IV (II) Reg. XIX, 30 ; Jer., XXXII, 24 ; XXXIII, 4.
(2) Layard, *Nineveh and its remains*, vol. II, page 367 sqq.
(3) Nah., I, 8; II, 6.



ASSYRII TURRES ADVERSUS OBSESSAM URBEM MOVENT. (Pag. 119, 120).

ceterum interpretationi perfecte consonant portæ fluviorum apertæ, obvio sensu intellectæ. Nulla enim causa datur, cur illos contortos sensus usurpemus, quibus intelliguntur turbæ hostium urbem fluctibus, ut ita dicam, humanis invadentium, aut urbis viæ iisdem turbis refertæ, aut cataractæ quæ cum urbis canalibus conjunguntur. Translationes enim usurpare non licet, nisi res aliter explicari nequeant.

Nec magis arridet illa theoria, qua portæ fluminum portæ sunt ad aquas sitæ et tam arte quam natura munitæ (1). Recte enim animadvertit Rosenmüller stultum ducendum fuisse illum qui contra hanc munitiorem urbis partem tentamina direxisset.

Unde multo magis placet illa interpretatio quæ verba, ut sonant, accipit. Quid enim aliud sunt *portæ* fluminis, nisi ipsius claustra, quæ molem aquarum intra ipsius alveum, quasi portis clausis, retinent? Quas quidem apertas dicere poteris, quum aggere disrupto per aquas inundantes fluvius super ripas late effunditur (2).

XLV. — Ceterum, obvia hæc verbisque accommodata explicatio perfecte historiæ dictis consentanea est. Antiqua enim, juxta Diodorum (3), erat prædictio Niniven tunc debellandam esse, quum fluvius in hostem civitatis verteretur. Nec aliud innuitur de possibilitate hujusce eventus, si in memoriam revo-

(1) Cf. Keil, *Bibl. Commentar über die zwölf Kleinen Propheten*, in h. l.

(2) Notatu dignum verbum נִפְתַּח usurpari pro effusione fontis, vel rivi, vel cataractarum cœli. — Cf. Zach., xiii, 1; Gen., vii, 11; Is., xxiv, 18.

(3) Diod. Sic., II. 27.

cetur quid ipse Sennacherib de inundatione Tigridis ejusque in palatiis regis damnis prædicet : « Fluvius Tibilti (Tigris), magnus impetus, qui in suo cursu solum civitatis destruxerat;.. a longo tempore inundationes in palatium venerant et per suum forte diluvium in ejus fundamentis canales effecti sunt et ejus platea infirmata fuit. Hoc parvum palatium universum destruxi et fluvii Tibilti cursum mutavi;.. desuper (canales) lapides grandes montis cum bitumine conglutinavi et crepidines fluminis erexi, et feci sicut montem (1). » Qui veteris Ninives ruinas his ultimis temporibus effoderunt talem confirmant exitum; non ita sane res patet ac si ipsius inundationis vestigia reperiantur; argumentis vero topographicis probatur regiam ædem undis fluminis tum defensam, tum destructam fuisse (2). Jure ergo a Nahum nominabatur Ninive « piscina aquarum (3); » ex ipsis fossis et paludibus quæ ruinas circumdant prophetæ translatio explicatur.

XLVI. — Addiderat etiam Nahum : « Devorabit ignis vectes tuos,.. ibi comedet te ignis (4); » quod

(1) *W. A. I.*, vol. I, tab. 63, — Cf. G. Smith, *History of Sennacherib*, p. 144, 145. — *R. P.*, vol. I, p. 25.

(2) « Koyoundjik et Nebbi-Younès sont.... éloignées d'un kilomètre du fleuve.... Mais jadis, du temps des rois assyriens, le fleuve baigna le pied même des murs occidentaux; de sorte que le château de Koyoundjik se trouvait sur le bord de l'eau. La légende relative à la destruction de Ninive s'appuie sur le fait d'une inondation du Tigre et elle trouve sa confirmation même dans le récit que Sennacherib fait au sujet de la réédification du palais. Les traditions anciennes représentent le palais comme défendu par les eaux du fleuve, et la topographie leur donne raison. » Oppert, *Expédition en Mésopotamie*, tom. I, p. 292.

(3) Nah., II, 8.

(4) Nah., III, 13, 15.

ipsum testantur veteres historici (1), et comprobat præsens ruinarum status, quæ ubique incendiorum vestigiis fœdantur (2).

Dum Nahum eos describit qui « sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium (3), » Diodorus Siculus refert Ninivitas ebrios fuisse, quum urbs ultimo impetu oppugnaretur; item describunt anaglypta ebrias cœnas, in quibus rex, coram regina jacens, et ab aulicis circumdatus, poculum vino plenum eis præbet. Deinde urbem prorsus spoliandam esse profert Nahum his verbis : « Diripite argentum ; diripite aurum... (4), » quæ ex eo comprobantur quod rarissima aurea aut argentea fragmenta in mediis ruinis inventa sint.

XLVII. — Absoluta ergo fuit urbis eversio; jam enim evanescet civitas quæ « dissipata est, et scissa, et dilacerata.... Et erit : omnis qui viderit te, resiliet a te et dicet : Vastata est Ninive (5). » Quæ ita descripta sunt ut cum situ nostri temporis prorsus quadrent. Jam acerbiorem tantæ vastatio-

(1) Diod. Sic., II, 25-28. — Cf. alios auctores apud Knabenbauer, *in Prophetas Minores*, p. 45, citatos.

(2) Omnes monumentorum reliquiæ testantur Niniven igne periisse, ex fere unanimi exploratorum consensu; unum tantum inter multos retineo, Layard nempe, qui de æde in tumulo Koyundjik reperta sic loquitur : « The palace had been destroyed by fire. The alabaster slabs were almost reduced to lime, and many of them feel to pieces as soon as uncovered. The places, which others had occupied, could only be traced by a thine white deposit, left by the burnt alabaster upon the wall of sun-dried bricks, and having the appearance of a coating of plaster. » Layard, *Nineveh and his remains*, tom. II, p. 121.

(3) Nah., I, 10.

(4) Nah., II, 9.

(5) Nah., II, 10 ; III, 7.

nis imaginem apud Sophoniam invenies : « Et... perdet Assur; et ponet speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi desertum. Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium; et onocrotalus et ericius in liminibus ejus morabuntur : vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari... quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam, sibilabit et movebit manum suam (1). »

Adeo impletum est prophetarum maledictum ut duobus post sæculis vix inveniri potuerit urbis situs (2). Anno 401, Xenophon cum exercitu ad Tigrim amnem procedens, nihil ibi notat præter duarum ingentium urbium ruinas, quarum altera Larissa, altera Mespila ab eo nominatur (3), quasque, ut ferebant incolæ, Persæ ab æmulis Medis, faventibus diis, eripuisse traduntur. Quæ urbes nihil aliud erant nisi antiqua Ninive (Larissa-Kalach et Mespila-Koyundjik), cujus ipsum ignorabatur nomen. Quatuor quidem abhinc sæculis, auctore Cornelio Tacito, arx nomine « Urbs Ninos vetustissima sedes Assyriæ, castellum insigne fama (4), » ad ripas Tigris a Romanis capta erat. Ammianus Marcellinus (5) de eadem urbe per transennam agit; fertur item imperator Heraclius Sassanidas prope Ninus, anno 620, profligavisse.

Si autem hujusmodi satis incerta testimonia exci-

(1) Soph., II, 13, 14, 15.

(2) Ἡ μὲν οὖν Νῖνος πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν. Strabo, xvi, 1, § 3.

(3) Xenoph., *De Cyri expeditione*, lib. III, p. 235, sqq. Oxonii, 1735.

(4) C. Tacit., *Annal.*, lib. XII, § 13.

(5) Ammian. Marcellin., lib. XXIII, c. 6.

pias, nihil historicis et criticis usque ad nostra tempora remanebat, præter Ctesiam et Diodorum, quo suam de Ninive notitiam augerent.

Anno tandem 1842, ruinæ urbis, viginti quinque sæculis absconditæ, prodierunt, a clarissimis viris Botta, Layard, Oppert, Place, Rawlinson, Rassam, etc., erutæ.

Permansit autem desolatio quam prophetæ nuntiaverunt : exaruerunt canales; præter tempus imbrium, quæ arentia arva paulum reficiunt, aridi permanent desertique loci. Inter tumulos errant oves et cameli, modicum victum quærentes; ex paludibus quæ Khorsabad cingunt, aut ex luteis rivulis, qui Koyundjik et Nimrud alluunt, rauca surgit phalacrocoracis et tauri vox; ædes assyriacas incolit lupus, vulpes, thos et hyæna.

Et hæc est speciosa civitas quæ tota periit!

CAPUT IV

Onus contra Babylonem.

XLVIII. — Si primo tantum aspectu res considerare liceret, inter urbes quæ ab omnibus propheticis minis tutæ viderentur, certe emineret Babylon, quæ nomine, fama, antiquitate a quibusvis istiusmodi periculis muniebatur.

Quo sæculo condita sit nondum statutum est; quidquid tamen peragere conentur qui eam aliquatenus recentiorem effingunt, ex inscriptionibus constat eam priscis temporibus exstitisse, ita ut nonnulli ipsam apparere contenderint in ægyptiacis monumentis Thoutmes III, qui XVIII dynastiæ, XV ante Christum natum sæculo, annumeratur. In Euphratis ripis sita, inter faustissimam regionem, chaldæo-assyriaci cultus, qui mox citeriorem Asiam invasit, initiis adfuerat. Post conditam Niniven, ita imminuta fuerat, ut inter duas istas civitates horrendum mox ortum sit bellum; superata sane fuit, non vero trita, nec domita Babylon, quatenus ninivitici principes, Babyloniæ reges dicti, cum devictæ gentis præfectis potestatem dividere coacti sunt. Vetustissimæ enim

Assyriæ inscriptiones bella cum Babylone suscepta tradunt. Græci etiam historici docent, anno 788, antea acceptas redditas fuisse clades (1); errant tamen, qui non meminerunt alternas fortunæ vices, pluribus sæculis, Babyloni non favisse.

Post Nabonassar, civilium turbarum aut bellorum impetu assyriaci reges adjuti sunt, et in dies potentiores facti antiquum dominium, ruente Babylonia, sibi arrogare inceperunt. Anno 709, Sargon Babylonem et Chaldæam recuperavit, quidquid contra tentavit Merodach-Baladan, qui eo tempore babylonicæ libertatis vindex inconcussus, semper devictus, semper autem pugnans (2), apparet.

Babylonem vastavit Sennacherib, niniviticoque imperio subditam servaverunt Assurbanipal et Assaraddon. Quum vero vertit tandem ipsa Ninive, ultimo refloruit Babylon. Nabopolassar enim, postquam ab Assuredilili babylonicam satrapiam obtinuisset, in locum domini sui se subdere nisus est; sensim sine sensu fines suos extendit, babylonicumque imperium ninivitico subrogavit. Simul pristinum splendorem ipsi urbi restituere studuit, templa ædesque restaurare. Quæ in inscriptionibus sic se habent : « .... Nabopolassar, præfectus Babylonis, rex Sumir et Accad, sublimis princeps, adjutus manu Nebo et Marduk,... structor Isagila et Isida, qui curam habet templorum magnorum deorum... olim jussit mihi Marduk dominus... sanctuarium Babylonis, quod ante me dirutum et eversum erat,

(1) Cf. Lenormant, *Histoire Ancienne de l'Orient*, tom. IV, p. 387.

(2) Cf. Lenormant, *Premières civilisations : Un Patriote Babylonien*, tom. II, p. 203 sqq.

ipsius fundamenta in pectore inferni fortiter jacere et ipsius culmen cœlis simile facere (1). »

XLIX. — Regnante Nabuchodonosor, ad eum potestatis cumulum evecta fuit Babylon, quem urbs æmula Ninive nunquam attigerat. Quod ad res quæ extra erant attinet, devicerunt et invaserunt exercitus ejus tum Syriam et Palæstinam, tum Ægyptum. Commeatuum varietate facta est, ut declarat propheta Ezechiel, « urbs negotiatorum (2). » Mœnia remota sunt, viæ laterculis stratæ, margines dilatatæ. Urbs duplici cingebatur murorum circuitu, quorum uni Imgur-Bil, alteri Nimitti-Bil nomen erat; immensam superficiem, præclarissimis monumentis ornatam, tegebat. Lautissimarum ædium, ingentium turrium, suspensorum hortorum splendore tantum inter urbes assurgebat Babylon, quantum Nabuchodonosor, quoad res gerendas et ædificia struenda, inter reges fulgebat.

De his fuse monemur notissima inscriptione quæ vulgo vocatur : *Indiarum Societatis inscriptio* (3). In decem columnas dividitur, et 619 lineis, nigro basalti insculptis, constat. Prima columna nomina Nabuchodonosori evolvit, Nabopolassari memoriam revocat, et ingenuam ejus erga Marduk et Nebo extollit pietatem, cujus effectus secunda co-

(1) Cf. Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band III, 2 Hälfte, p. 2 sqq., *Inschriften Nabapolassar's*.

(2) Ez., xvii, 4.

(3) Hæc inscriptio asservatur Londini in æde quæ dicitur *East-India Office*. Quoad textus et interpretationem, cf. Oppert, *Expédition en Mésopotamie*, tom. II, p. 303 sqq. — Rodwell, in *R. P.* (1ª series), vol. V, p. 111. — Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band III, 2. Hälfte, p. 10 sqq. — Ball, in *R. P.* (2ª series), vol. III, p. 102 sqq.

lumna singillatim percensentur, templum nempe aureis ornamentis, gemmis, pretiosissimisque lignis restitutum. Quarta columna legitur series templorum a Nabuchodonosor refectorum, et deorum quos imprimis colebat. Circa ejusdem finem et ineunte quinta columna de mœnibus urbis agitur :

« 52. Gula, dominæ, 53. quæ meam fortunam auxit, 54. erexi Igula, Itila, Izitabila, 55. ipsius tria templa, 56. in Borsippa. 57. Rammon, qui defluere jussit 58. pluviam abundantem in terram meam, 59. ipsius templum in Borsippa 60. ornatum erexi. 61. Sin, qui amovet laqueos 62. sortis meæ, 63. Idimanna, suum templum, 64. proxime in circuitu Izida 65. splendidum feci. 66. Imgur-Bil, 67. et Nimitti-Bil, 68. magnos muros (fluminis) Babylonis, 69. quos Nabopolassar, 70. rex Babylonis, pater qui genuit me, 71. incepit et non absolvit, 72. opus eorum;

» Col. V. — 1. Quorum fossas duxit; 2. duos idoneos muros 3. cum bitumine et coctili laterculo 4. construxit juxta suam ripam. 5. Claustra (canalis) Araḥtu 6. fecerat; 7. aggerem coctilis laterculi 8. in altera ripa Euphratis 9. construxerat; 10. sed non absolverat, 11. reliquum.... 23. Imgur-Bil 24. et Nimitti-Bil, 25. magnos muros Babylonis, 26. perfeci; 27. Juxta abruptam ripam, 28. duos idoneos parietes 29. cum bitumine et coctilibus laterculis construxi, 30. et muris patris mei 31. conjunxi; 32. civitati protegendæ 33. circumduxi. 34. Murum coctilis laterculi, 35. ad flumen occidentale, 36. munimen Babylonis, circumduxi (1).... »

(1) De muris Babylonis, cf. Oppert, *Expédition en Mésopotamie*, tom. I, p. 220 sqq.

Sexta columna evolvuntur alia præsidia quibus Nabuchodonosor urbem munivit, fossæ, cum mari quodam comparatæ, quibus præcludebantur aditus. Septima columna refert præclaram ædem quam sibi ædificaverat. De iis ceterum magnificis monumentis in plerisque ejusdem regis inscriptionibus agitur.

L. — Ea erat urbs et potestas, cujus prophetæ ruinam vel occasum tunc vaticinantur, quum ad summum splendoris fastigium eveheretur aut jam pervenisset. Isaias nempe, quum Babylon, adhuc erga hierosolymitanam potestatem benigna, toti occidentali Asiæ, fictitio quidem titulo, non jam re, dominatur, futurum prævidet imperium, cujus apex signum occasus mox fiet. Tunc Jeremias, eo ipso tempore quo Babylon summopere florebat, proximam minatur ruinam. Quia autem hæ prophetiæ singulas res carptim evolvunt, omni ope atque opera nituntur rationalistæ ut eas quasi post eventum scriptas habeant (1).

In tres partes dividuntur prophetiæ adversus Babylonem, prouti tres ejus vices, *a*) paratam nempe excidii irruptionem, *b*) urbis obsidionem, *c*) integram postremo ruinam, respiciunt.

LI. — Isaias et Jeremias hostes adversus Babylonem conjurantes prænuntiant : « Ecce ego suscitabo super eos Medos (2).... Sicut turbines ab Africo

(1) Cf. Cheyne, *The prophecies of Isaiah*, vol. I, p. 125, 127. — Nec magis recurrendum est ad hanc theoriam, qua nonnulli auctores totam Isaiæ prophetiam (cap. xiii, xiv, xxi), ad Niniven, prophetæ contemporaneam, referunt. — Cf. Bruston, *Histoire critique de la littérature prophétique*, p. 213.

(2) Is., xiii, 17.

veniunt, de deserto venit, de terra horribili.... Ascende Ælam, obside Mede (1).... Suscitavit Dominus spiritum regum Medorum; et contra Babylonem mens ejus est ut perdat eam (2).... »

Tum primum prænuntiatur a propheta instrumentum a Deo electum ad destruendam urbem.

De Medis vero nonnulla oritur difficultas interpretandi. — *A*) Medi, etsi tempore Isaiæ probabilius cogniti sint, ætate de qua agimus nonnisi debiles et divisæ tribus erant (3). Dum autem catholici critici signum prophetici acuminis hic agnoscunt, insudant rationalistæ ut has minas multo recentiori tempori attribuant. — *B*) Medi quidem, quum oppugnata est Babylon, subdebantur Cyro et Persarum imperio jungebantur; de iis tamen mentio profertur, quia numero plures permanserant et potestatem antea exercuerant. — *C*) Adde imprimis quod non de iis solummodo agitur : hortatur enim propheta Ælam, ut ipsum surgat. Jam vero eadem regio cum illa quadrat, cui præfuisse dicitur Cyrus, in inscriptione de qua iterum infra agetur (4) : « Ego sum, ait, Cyrus, rex urbis *Anshan*, nepos Cyri, regis urbis *Anshan*. » Situs autem hujus urbis hoc modo statuitur : ex clarissimis viris H. Rawlinson et Sayce, regio Anshan vel totum Ælam est, vel pars regionis ælamiticæ (5). *a*) Assyriaci enim tex-

(1) Is., XXI, 1, 2.

(2) Jer., LI, 11.

(3) De varia et humili sorte Medorum, florente assyriaco imperio, cf. A. Delattre, *Le Peuple et l'Empire des Mèdes*, liv. II, *Les Mèdes sous la domination assyrienne*, p. 57, 125.

(4) Cf. infra, p. 147, 148.

(5) *Journal Asiat. de Londres*, janvier 1880, p. 76. — *The Academy*, vol. XVII, p. 198.

tus ad Chaldææ orientem terram statuunt, de cujus finibus adhuc ambigitur, quæ phonetice legitur *An-du-an*. At ex bilingui tabula, *An-DU-an*, urbs ælamitica, vertitur in *An-CHA-an* : « An-du-an (An-cha-an) Ilamtu (1). » Hinc quia signum, quod phonetice sonat *du*, interpretatur Rawlinson quasi si legi etiam posset *sa*, ipsius urbis nomen, in textibus assyriacis usurpatum *An-du-an*, fit *Ansan*, *Anshan*, ita ut hæc regio intra Ælam vel circa Ælam ponenda sit. *b*) Immo, assyriaca quædam incantatio agit de aliquo rege terræ Anshan et Subartu (2) : quum autem hæc ultima terra, ex aliis assyriacis textibus, in Susiana seu Ælam jacet (3), vicinam fuisse Anshan regionem jure concluditur. *c*) Demum, ex vetustissimo Persarum effato (4), Djemschid, unus inter eos qui heroicam Pischdadianorum dynastiam condiderunt, in urbe Ansan, non longe a Susis, regnavisse fertur (5).

LII. — Præterea Jeremias ad bellum movet adversus Babylonem reges *Ararat, Minni* et *Ascenez* : « Levate signum in terra; clangite buccina in gentibus; sanctificate super eam gentes; annuntiate contra illam regibus Ararat, Menni et Ascenez (6). » Etsi eorum regnorum fines nunc statui non possint,

(1) *W. A. I*, vol. II, tab. 46, col. 2, l. 18.
(2) *W. A. I.*, vol. III, tab. 60, l. 67, 68.
(3) Vigouroux. *La Bible et les découvertes modernes*, tom. IV, p. 236.
(4) Ibn-el-Nadin, *Kitab-el-Fihrist*, p. 2, l. 22.
(5) Cf. E. Babelon, *Les Inscriptions cunéiformes relatives à la prise de Babylone par Cyrus*, in *Annales de Philosophie chrétienne*, 1881, tom. III, p. 361.
(6) Jer., li, 27.

hic agnoscimus gentes quæ in Armenia vel prope Armeniam degebant; constabat enim pluribus partibus, quarum præcipuæ a propheta evolvuntur. — *A*) *Ararat,* quem assyriacus sermo Urartu, græcus vero, ab Herodoto paululum hic corruptus, Ἄλαροδ (1) vocat, ingens est campus quem alluit Araxes, et ad cujus meridiem surgit mons, eodem nomine vulgo dictus Ararat (2). — *B*) Regione Minni (græce Μινυάς, assyriace *Mannai,* i. e. terra Manna aut Vanna, Van) et regione vicina Ascenez, statuebatur una inter potentissimas fœderatas gentes Naïri. Eam subigere incepit Teglathphalasar opusque peregit Sargon (3). Phraortes vero medico imperio subactam conjunxit Armeniam, quæ cum Cyro adversus Medos surrexit eique eximium præstitit auxilium. Armeniæ rex, Tigranes, Cyrum quasi subditus adjuvit ipsique ad vastandam Asiam irruenti conjunctus est. Quos exercitus decursu sæculorum adversus Babylonem incessuros ita descripsit Jeremias : « Ecce populus venit ab aquilone, et gens magna, et reges multi consurgent a finibus terræ. Arcum et scutum apprehendent... et super equos ascendent sicut vir paratus ad prælium contra te, filia Babylon (4). »

LIII. — Urbis expugnatio jam tunc imminebat, et terrorem Babylonis annuntiat propheta : « Ululate, quia est dies Domini; quasi vastitas a Domino veniet.... Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indi-

(1) HERODOT. *Histor.*, lib. III, § 94.

(2) SCHRADER, *The Cuneiform Inscriptions and the Old Testament,* vol. I, p. 53, vol. II, p. 16.

(3) LENORMANT, *Histoire Ancienne de l'Orient,* tom. IV, p. 24 sqq.

(4) JER., L, 41-42.

gnationis plenus et iræ furorisque.... Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum; et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.... Omnis qui inventus fuerit, occidetur; et omnis qui supervenerit, cadet in gladio; infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, et uxores eorum violabuntur. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient, et lactantibus uteris non miserebuntur, et super filios non parcet oculus eorum (1). »

Nec minores sunt Jeremiæ minæ : « Præparamini contra Babylonem per circuitum, omnes qui tenditis arcum; debellate eam, non parcatis jaculis, quia Domino peccavit. Clamate adversus eam, ubique dedit manum; ceciderunt fundamenta ejus, quoniam ultio Domini est; ultionem accipite de ea; sicut fecit, facite ei.... Super terram dominantium ascende, et super habitatores ejus visita; dissipa, et interfice quæ post eos sunt, ait Dominus.... Venite ad eam ab extremis finibus... et interficite eam, nec sit quidquam reliquum. Dissipate universos fortes ejus, descendant in occisionem.... Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, et ad habitatores Babylonis.... Nolite parcere juvenibus ejus, interficite omnem militiam ejus. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, et vulnerati in regionibus ejus (2). »

Terribilis fuit prophetæ mina cum qua eventus ipse congruere debuit. Etsi enim laterculus, de quo

(1) Is., xiii, 9-18.
(2) Jer., L, 14, 15, 21, 26, 27, 35; LI, 3, 4.

mox singillatim tractabimus, de capta urbe taceat Cyrumque ostendat qui pacem Babyloni offert (1), ille tamen bellicos hujus ætatis mores ignoraret, qui putaret civitatem ita a Medis et Persis occupatam fuisse, ut a cæde et direptione abstinuerint. Ammiani Marcellini æstimatio : « *Pugnatrix natio et formidanda* (2), » antiquitatis sententiam de his crudelibus populis quasi uno verbo contrahit (3). Tacent sane cuneiformes textus de captæ Babylonis circumstantiis; ita nobis adimunt facultatem Biblia hoc auxilio prorsus confirmandi, imo aliquando opiniones exegeticas antiquitus usitatas destruunt. Directe tamen vel indirecte hanc Babylonis obsidionem, qualis a prophetis nuntiatur, stabiliunt : hæc ex narratis babylonicis factis, tum quoad ipsam eversionem, tum quoad annos anteactos, declarabuntur.

LIV. — Evil-Merodach, filius et successor Nabuchodonosor, postquam tres circiter annos regnasset, a leviro suo Neriglissor (4) interfectus est : qui, regno potitus, item post tres alios annos interiit. Quum autem Neriglissori filius admodum puer, Labasi-Marduk (quem Ptolemæus Laborosoarchod

(1) Non nimium miretur quod historica veritas ita forsan adulterata sit, qui notissima nostrorum temporum verba meminerit : « L'ordre règne à Varsovie ! »

(2) AMMIAN. MARCELL, XXIII, 6.

(3) De indole Medorum, cf. RAWLINSON, *Ancient Monarchies*, vol. II, p. 284 sqq.

(4) Nomen in Bibliis asservatum est cum babylonica forma נֵרְגַל שַׂרְאֶצֶר *Nergal-sar-uṣur*, (Nergal tuetur regem). Ipse esse videtur Nergel-Serezer, Rab-mag (babylonice *rubû-imga*, gloriosus princeps, cf. SCHRADER, *The Cuneiform Inscriptions and the old Test.*, vol. II, p. 110), qui Nabuchodosor Hierosolymam obsidentem. (JER., XXXIX, 3, 13), comitatus est.

vocat) post aliquot menses et ipse occisus esset, babylonica potestas, quam septuaginta annos tenuerat Nabopolassari dynastia, a quodam conjurato Nabonido (1) circa annum 656 usurpata est. Res in pejus Babyloniis tunc vergebant. Cyrus enim Medorum et Persarum regna recens conjunxerat, ita ut integra Asia servitutem formidaret. Ictam belli societatem Lydiam inter et Babyloniam Nabonidus confirmavit, Euphratisque ripas, teste Herodoto (2), permunivit. Primo regni sui anno regem quemdam pugnavit, cujus nominis ultimæ solummodo litteræ conservatæ sunt. Secundo videtur seditionem in terra Hamath pacavisse. Tertio anno, regionem quamdam montuosam, nomine Ammananu, petiit, eam, ut videtur, quæ ex multis babylonicis inscriptionibus cognita, vulgo Amanus vocatur. Adeo autem mutili sunt textus, ut nihil certum cognosci valeat usque ad sextum ejusdem principis annum, quo Cyrus fertur regionem quamdam, cujus nomen legi non potest, invasisse, Astyage, rege Medorum, a militibus ejus tradito, potitus esse (3), Ecbatanen demum cum lautissimis ex auro et argento spoliis occupavisse. Septimo anno, Nabonidus in secessu urbis Tima degit adversæ invidiæ subjectorumque querelis objectus, et belli curam, cum exercituum in terra Accad congregatorum ductu,

(1) « Nabû-na'id... filius Nabû-balatsu-ikbi. » *W. A. I.*, vol. V, tab, 64 col. I, l. 1,6.

(2) Herodot., *Histor.*, libr. I, § 180, 186.

(3) Non perfecte consonat tabula Cyri, de qua agimus (infra citata, p. 141), cum cylindro Nabonidi, qui Astyagem a Cyro captum esse declarat; traditum autem fuisse regem Medorum confirmat Herodotus, *Histor.*, lib. I, § 127 sqq.

filio Baltasar reliquit (1). De octavo anno siletur. Nono anno, idem apparet ignavi regis ejusque filii status; a sacerdotibus sacrificia aggeruntur, ad placanda Babylonis et Borsippæ numina. Mater regis quæ cum nepote in castris ad Euphraten sitis degebat, mortem obit tribusque integris diebus ab exercitu et a Baltasaro defletur. Cyrus interea copias contrahit; Tigridem infra Arbelas transgreditur ibique regem quemdam hujus terræ profligat. Decimo anno Nabonidus in Tima remanet, ejusque filius in Accad; circa finem mensis Nisan Cyrus terram Ælam relinquit et regionem Accad invadit. De sequentibus annis minus certiores sumus. De undecimo nihil novimus præter eamdem regis ignaviam eademque sacrificia quæ supra retulimus; quo tempore neque Bel neque Nebo babylonici cultus pompis adest.

Quæ omnia asservantur in coctili laterculo, quatuor uncias alto, tres cum dimidia lato (2);

(1) Historiam Baltasari, qui, teste Daniele, in obsessa a Cyro Babylone dominium exercebat, plurimi critici fabulosam habuerunt. Cf. Halévy, *Cyrus et le retour de l'exil*, *Revue des Études Juives*, nº 1, juillet 1880, p. 9 sqq., ubi legitur: « Nabonide est le dernier roi de Babylone, et le règne de Baltasar.... doit être définitivement rayé de l'histoire, à moins d'admettre que Baltasar et Nabonide ne font qu'un. » Porro nunc ex cuneiformibus inscriptionibus constat Nabonidi filium natu majorem fuisse *Bil-sar-uṣur*, (Bel tuetur regem) in quo nomine בֵּלְשַׁאצַּר Bibliorum de facili agnoscitur. Porro filius hic, qui alias *Habal-Sarru* (filius regis), aut *Habalsarru.* (filius regis, vices regis gerens) vocatur, (cf. Delattre, *Salomon*, *Assurbanipal*, *Balthasar*, Bruxelles, 1883, p. 7), exercitui in terra Accad præfectus est, quum pater Nabonidus in Tima secessit; jure ergo, quia ipse in regno secundus post patrem erat, Danieli dixit: « Si ergo vales scripturam legere..., *tertius* in regno meo eris. » (Dan., v, 16). Aliquot etiam hebdomades ipse rex de facto fuit, postquam Nabonidum Gobryas cepit. (Cf. E. Babelon, *Les Inscriptions cunéiformes relatives à la prise de Babylone par Cyrus*, apud *Annales de Philosophie chrétienne*, 1881, tom. III, p. 366. — Vigouroux, *La Bible et les découvertes modernes*, tom. IV, p. 463 sqq.. — Schrader, *The Cuneiform Inscriptions and the Old Testament*, vol. II, p. 130 sqq.

(2) $0^m, 10^c \times 0^m,09$.



Coctilis laterculus de ultimis regni babylonici annis

cujus textus in duabus columnis utrinque inscribitur. In prima columna asservatæ sunt viginti et una lineæ; in secunda viginti quinque; in tertia viginti et octo; in quarta ultimæ tantum voces novem linearum. Sub Annalium forma narrantur regni Nabonidi eventus; quinque priores anni ita mutili sunt, ut legi non possint : de quibusdam in Syria et in Phœnicia peractis bellis agi videtur. Secunda vero columna clariorem textum habet, quem integrum, ut historice utilissimum, referre juvat.


LV. — Columna II.

1. Congregavit [exercitum suum?] et contra Cyrum, regem Ansan, Is... [*tuvegu*, Astyages] processit et.... 2. Astyages, exercitus suus rebellavit contra ipsum et habuit eum in custodiis [et] Cyro [dedit eum]. 3. Cyrus in terra Ecbatanæ, regia civitate, argentum, aurum, thesauros [ac] opes [cepit]. 4. Ex Ecbatana eripuit et in Ansan attulit thesauros [et] opes, quæ [eripuerat]. 5. Septimo anno rex [erat] in civitate Tima. Filius regis, ministri et exercitus [erant] in Accad. 6. [Rex] Babylonem non ivit. Nebo Babylonem non ivit. Bel non ivit; sacrificium [pro peccato obtulerunt]. 7. Victimas in Isagil et Izida diis Babylonis et Borsippa placandis 8. obtulerunt; ministrum hortorum et palatii præposuit. 9. Octavo anno.... 10. Nono anno Nabonidus rex [erat] in Tima; filius regis, ministri et milites [erant] in Accad. Rex, in mense Nisan, Babylonem 11. non venit, Nebo Babylonem non venit, Bel non egressus est. Sacrificium pro peccato fecit. 12. Victimas in

Isagil et Izida, diis Babylonis et Borsippa pro pace obtulit. 13. Mense Nisan, quinto die, mater regis qui erat in castello et castro juxta Euphraten trans Sippar 14. mortua est. Filius regis ejusque milites tribus diebus eam luxerunt et planxerunt. Mense Sivan, in terra Accad 15. luctus fuit super matre regis. Mense Nisan, Cyrus, rex Persidis, suum exercitum congregavit et 16. juxta Arbela Tigridim transmeavit et mense Igyar in terram Is.... 17. ipsius regem. Hoc argentum collegit, suam progeniem in medio ascendere fecit.... 18. Post progeniem et rex in medio erat. 19. Decimo anno rex [erat] in Tima, regis filius, ministri et milites [erant] in Accad. Rex mense [Nisan Babylonem non ivit]. 20. Nebo Babylonem non ivit, Bel non processit; sacrificium pro peccato fecerunt; victimas in [Isagil et Izida] 21. diis Babylonis et Borsippa pro pace obtulerunt. Mense Sivan, vigesima prima die [Cyrus] 22. e terra Ælamytarum in Accad... præfectus urbis Erech.... 23. Undecimo anno rex [erat] in Tima, filius regis, duces et milites erant in Accad. 24. Mense Elul rex ad Bel non ivit; sacrificium pro peccato fecerunt, [victimas in Isagil et Iziga]. 25. [diis] Babylonis [et Borsippa pro peccato] obtulit....

LVI. — Columna I *(Aversa)*.

1. Flumen.... 2... mense Adar, Istar Erech.... 3... dii terræ Persiæ.... 4... dii. .. 5... Nebo ex Borsippa ad Uddu.... 6... rex in Bit-tur-Kalama descendit.... 7... et inferius mare insurrexit.... 8... Bel processit, sacrificium pro peccato, pro pace fecerunt, in mense.... 9... dii Surda, Zamalma, et



Deorum theoriæ. (Pag. 142).

dii Kis, Beltis et 10. dii Kharsak-Kalama in Babylonem descenderunt (1). Sub fine mensis Elul dii Accad 11. qui erant ultra et infra cœlum Babylonis, descenderunt. Dii Borsippa, Cutha 12. et Sippara non descenderunt. Mense Tammuz Cyrus in Rutum (2) pugnam contra.... 13. fluminis Nizallat in medio exercitus Accad. Viri Accad 14. insurrexerunt. Milites, decima quarta die, Sippara absque pugna ceperunt. 15. Nabonidus aufugit. Decima sexta die, Ugbaru (3), præfectus terræ Gutium et exercitus Cyri sine pugna 16. Babylonem descenderunt; pos-

(1) Nabonidi pietatem in deos timor movit, ut apparet ex quodam textu 159 linearnm in tres columnas diviso; qui dum templa in deorum honorem exstructa narrat, ad populos vicinos quos propheta adversus Babylonem prænuntiavit incedentes, alludit : « 8. I-ḥul-ḥul, templum Sin, quod in Ḥarran est, 9. ubi ab antiquis diebus Sin, magnus dominus, 10. tanquam in domo suæ felicitatis habitabat; 11. contra civitatem ejusque templum iratus est in suo corde et 12. permisit Sabmanda appropinquare et hoc templum eruere et in ruinas evertere.... 16. In initio mei perpetui regni immiserunt mihi 17. somnium. 18. Marduk, magnus dominus et Sin illuminator cœli et terræ, 19. steterunt apud me; Marduk dixit ad me : 20. Nabonide, rex Babylonis, cum equis curruum tuorum 21. subvecta lateres, ædifica I-ḥul-ḥul et fac Sin, 22. magnum dominum, ibi suam sedem instituere. 23. Venerabundus respondi domino deo Marduk : 24. Hoc templum, quod tu struendum jussisti, 25. Sabmanda circumdedit et dilatavit suam potestatem. 26. Marduk autem dixit ad me : Sabmanda quem tu memoras, 27. ipse, sua terra, sui reges, sui adjutores jam amplius non sunt. 28. In tertio anno ipsum in pugna 29. obruit, et Cyrus, rex Ansan, ipsius humilis servus, 30. cum suo parvo exercitu invadentem Sabmanda 31 diruit, 32. Astyagen, regem Sabmanda cepit, et captum in suam terram 33. perduxit illum.... »

Præterea narrat inscriptio modum quo incœpta est sperata refectio, mandatumque militibus in Gaza, circa fines Ægypti, traditum, ut huic operi socientur. Videtur autem Nabonidus exercitum suum præ hostium timore reducere; ruit enim Babylonia, nec potest ignavus rex Cyri impetum frangere. Cf. Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band III, 2 Hälfte, p. 97 sqq. — E. A. Budge, *Babylonian Life and History*, p. 75 sqq.

(2) Urbs *Rutum* seu *Rutuv* legitur in tabulis Egibi. Quia simul agitur de urbe Pikudu, quæ ad Babylonis meridiem sita erat, jure concluditur duas urbes circa eadem loca stetisse.


(3) Qui legitur Γωβρύης apud Herodot. *Histor.*, lib. III, § 70.

tea Nabonidum, postquam eum circumclausit, in Babylone cepit. Sub fine mensis Tammuz rebelles 17. terræ Gutium portas urbis Isagil clauserunt, sed ad ejus defensionem nihil in Isagil nec in templis regionis 18. repositum erat, nec arma ibi inveniebantur. Mense Arḫu-Samnu, tertia die, Cyrus in Babylonem descendit. 19. Viæ coram ipso obscuræ erant. Pacem in civitate stabilivit, Cyrus pacem Babyloni 20. omnino promisit, Ugbaru suum præfectum et alios præfectos in Babylone instituit 21. et a mense Kislev ad mensem Adar, deos Accad, quos Nabonidus miserat, 22. in suis templis restituit. Mense Arḫu-Samnu, undecima die, Ugbaru sub... 23. et rex mortuus est. A die vigesima septima mensis Adar ad diem tertium mensis Nisan, fuit planctus in Accad. 24. Omnis populus per mortem domini sui liber evasit.... (1) »

Columnæ II pars aversa adeo trunca est ut nihil prorsus legi valeat. Exinde tamen apparet Babylonis obsidioni favisse tum Nabonidi exercitus rebellionem, tum regis incuriam sacerdotumque et plebis odium ob hanc causam ortum.

LVII. — Idem ceterum patet in alio documento, quod, Cyri jussis inscriptum, Babylonis expugnationem etiam refert. Coctilis est cylindrus in formam cadi turgescens et circa medium truncus. Qui

(1) Pinches, *On a cuneiform tablet relating to the Capture of Babylon by Cyrus, and the events which preceded and led to it*, apud *Transactions of the Society of Biblical Archæology*, vol. VII, part. I, p. 139 sqq. — E. Babelon, *Les Inscriptions Cunéiformes relatives à la prise de Babylone par Cyrus*, in *Annales de Philosophie chrétienne*, 1881, tom. III, p. 349 sqq. — Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band III, 2 Hälfte, p. 128 sqq.



Cyri cylindrus

anno 1879 a clarissimo viro Rassam repertus est in ruinis urbis Senkereh, quam J. Oppert (1) unam eamdemque esse cum Babylonica Larsam et Græca Λάραγχα in fragmentis Berosii asservata contendit. Quadraginta quinque lineæ in longum inscribebantur, quarum duæ tantum partes remanserunt : « 1..... homines..... 2..... 3. fortem arcem instituit ad defensionem suæ terræ. 4... duces ipsis præposuit, 5. sicut Isagil..... in urbe Ur et aliis civitatibus 6. indignum cultum ipsis.... quotidie obtulit. 7. Templorum tributa neglexit.... in medio urbium timor Marduk, regis deorum.... 8. perversa consilia contra suam civitatem molitus est.... quotidie.... in perversa voluntate disturbavit omnia; 9. propter has ruinas iratus est vehementer dominus deorum.... locum suum. Dii, qui ibi habitabant, reliquerunt suam sedem 10. in ira, quia ipse (Nabonidus) eos in Suanna (Babylonem) deduxerat. Marduk, 11. et populos Sumir et Accad, qui mortuorum faciem gerebant, dimisit.... simulque suis terris restituit. 12. Regem justum quem sua dextera tuebatur, enutrivit in medio terræ : Cyrum, regem urbis Ansan, cujus nomen promulgavit ad imperandum toti orbi. 13. Terram Kuti, et omnes populos sibi subjectos, habitatores terrarum in ejus manum traditos, in rectitudine et justitia constituit. 14. Marduk, magnus dominus, templorum refector, jucunde intuitus est opera vicarii sui, justitiam manuum et cordis ejus. 15. Ipsum jussit ire in urbem Babylonem, quam Nabonidus, rex impius, reliquerat ægre, quam ipsi tradidit. 16. Sui late diffusi exercitus, quorum nu-

(1) Oppert, *Expédition en Mésopotamie*, tom. I, p. 266 sqq.

merus similis aquis torrentis, non confortati fuerant et quorum arma congregata sunt. 17. Absque pugna et conatu ipsum in Suannaki, suam vim introduxit Marduk. Babyloni pepercit.... cum Nabonido, qui Marduk non colebat, in manus Cyri tradidit. 18. Habitantes universam Babylonem, necnon terras Sumir et Accad, magnates et duces, quos subdiderat, ipsius pedem deosculati sunt, gaudentes de ejus adventu, facie fulgentes. 19. Domino, in quo confidi, quia mortuos in vitam revocavit, grates decreverunt propere et gaudenter. Laudaverunt ipsius nomen. 20. Ego sum Cyrus, rex multitudinis, rex magnus, præpotens rex, rex Babylonis, rex Sumir et Accad, rex quatuor regionum terræ. 21. Filius Cambyses, magni regis, regis urbis Ansan, nepos Cyri, magni regis, regis urbis Ansan, pronepos Teispes, regis magni, regis urbis Ansan, 22. oriundus ex antiqua auctoritate, cujus gubernationem diligunt Bel et Nebo, et cujus, corde benigno, imperium diligunt. 23. Tunc ingressus sum in mediam Babylonem pace, gaudio et exultatione in palatio regum. 24. Extendi sedem regiam Marduk, domini magni, magnum pectus.... habitantes Babylonem et.... quotidie.... 25. Immensi exercitus mei effluxerunt per mediam Babylonem pace; universam terram Sumir et Accad non offendi, 26. neque Babylonem suburbanam. Restitüi in pace filios Babylonis.... qui etsi.... 27. ruinas eorum erexi, carceres aperui ad operandum.... Marduk, magnus dominus : omnia disposui. 28. Ad me, Cyrum regem, qui eum veneror, et ad Cambysen, filium ex me oriundum, ad universum exercitum meum benignus accessit, et in pace coram ipso 29. con-

gruenter.... Omnes reges qui habitant in palatiis, 30... ex omnibus regionibus, a mare superiore ad mare inferius.... omnes reges Phœniciæ et.... 31. attulerunt opulenta tributa in Suanna (Babylonem) et deosculati sunt pedes meos. A.... usque ad urbes Assur et Istar.... 32. Agani, Isnunnak, Zamban, Miturnu, Dur-il, usque ad terram Kuti, trans Tigrim, quorum sedes a longo tempore turbabantur. 33. Deos, ibi degentes, iterum apud eos institui per ævum ipsisque ædificavi domos amplas. Omnes hos populos congregavi et in eorum terram dimisi. 34. Et deos terræ Sumir et Accad, quos Nabonidus, renitente domino deorum, in Suanna (Babylonem) introduxerat, juxta verbum Marduk, domini magni, in pace reddidi eos 35. suis locis, jucundis mansionibus. Omnes dii, quos in suis civitatibus restitueram, 36. intercedant quotidie apud Bel et Nebo ad longam mihi obtinendam vitam, verbum benedictionis proferant et ad Merodach, meum dominum sic loquantur : Cyro regi, qui te honorat, et Cambysi ipsius filio.... 37. ipsis.... utique.... in suis locis in quibus quiete retuli (1).... »

Ceteræ lineæ desiderantur.

LVIII. — Nunc, cognito ipso inscriptionum textu, refert illa notare quæ prophetarum testimonia aut confirmare aut infirmare videntur, omissis tum genealogicis, tum geographicis quæstionibus, quæ ad nos non pertinent.

(1) E. Babelon. *Les Inscriptions Cunéiformes relatives à la prise de Babylone par Cyrus* in *Annales de Philosophie chrétienne*, 1881, tom. III, p. 355 sqq. — Schrader, *Keilinschriftliche Bibliothek*, Band III, 2 Hälfte, p. 120, 127.

Primum notandum est hujusmodi esse monumenta quæ descripsimus, ut eorum authenticitatem nemo negare queat. Sunt enim ipsorum regum jussu inscripti Annales; immo alterum documentum, quod Cyri mandatis a chaldaicis sacerdotibus prolatum est, nedum vel minimam secum suspicionem trahat, primi laterculi narratione, prorsus extranea, confirmatur. Tria tamen quoad hæc observanda sunt :

LIX. — 1) Inscriptiones post captam urbem confectæ sunt, quo tempore belli cladibus pax successerat; non ergo miremur quod gaudium redoleant. Præterea patria quadam superbia (1) trahebantur chaldaici scribæ, ut ruinam qua ipsi etiam obruti erant, quantum poterant, reticerent. Hinc ex eo quod res singillatim non narrentur, concludi nequit eas inscriptiones vel indirecte Bibliis veteribusque historicis contradicere. Insuper, quod rex Cyrus facillime, ex inscriptionum textu, urbe potitus sit, nihil obstant prophetæ, qui exercitus et regis babylonici vim extollere nullatenus student. Videtur enim Nabonidus in urbis Tima secessu præ hostium et rebellium civium timore degens, ille rex esse de quo Jeremias : « Audivit rex Babylonis famam eorum, et dissolutæ sunt manus ejus; angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem (2). » Rege absente, fortiores non apparent copiæ, nec multum differunt qui ante victoris ducis pedes procumbunt ab iis quos ita vituperat Jeremias : « Cessaverunt

(1) Cf. Vigouroux, *La Bible et les Découvertes modernes*, tom. IV, p. 461, 462.

(2) Jer., l, 43.

fortes Babylonis a prælio; habitaverunt in præsidiis; devoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres (1). »

LX. — Quidquid sit, nullum nihilominus genuinum remanet vestigium eventorum quæ, Babylone ruente, acciderunt.



CONVIVÆ SIBI INVICEM PROPINANTES (Pag. 152).


Baltassari notissima cœna nonnisi indirecte illustratur ex assyriacis monumentis, quatenus tum Ninive, tum Babylone probrosi istarum epularum mores congruebant. Isaias et Jeremias his verbis oppressorum suorum finem prædixerant : « Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes (2). » — « In calore eorum ponam

(1) JER., LI, 31.
(2) JER., LI, 39. — Cf. HERODOT, *Histor.*, lib. I, § 191.

potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus (1). » Monumenta sane de babylonica cœna, qualem eam Daniel retulit (2) post alios prophetas, hucusque silent; similium autem spectaculorum adumbratione comprobant quantum Assyrios et Chaldæos juverit opipare epulari et imprimis potare (3). Istiusmodi cœnis assuetos fuisse principes testantur Koyundjik et Khorsabad anaglypta : in uno enim apparent, circa mensam tapetibus stratam, quadraginta circiter convivæ, splendidis vestibus induti, qui patula pocula, leoninis capitibus ornata, simul extollunt, quasi si sibi invicem, nostro more, propinent.

In alio ruinarum Koyundjik monumento, apparent in intimis ædibus rex et uxor ejus. Rex jacens sinistroque brachio nixus, dextera manu poculum sustinet et ad labia vertit. Coram eo, ad latus quadratæ mensæ, sedet regina in humiliore sella, ipsaque poculum manu gerit. Duo eunuchi, muscariis, ad refrigerandum aera et abigendas muscas, onerati (4), post regem et reginam stant;

(1) Is., XXI, 5.
(2) DAN., V, 1, 2, 5.
(3) NAH., I, 10.
(4) Hunc morem etiamnum in Oriente asservari ipsi experti sumus : « 6 Avril 1889. — *A bord du Nefert-Ari* : .... Quelle plaie d'Égypte que ces légions de mouches aussi piquantes qu'effrontées! Depuis six heures du matin, je me livre avec mon chasse-mouches à un vrai mouvement perpétuel. Au déjeuner, je dois bien passer à d'autres exercices. Alors, dans la salle à manger s'installent devant et derrière moi deux négrillons, armés d'une espèce de plumeau végétal. Pendant tout le repas, ils s'escriment contre ces dévorantes bestioles, qui pourtant trouveraient bien meilleure chère que sur mon pauvre visage. « Si j'étais roi » et s'il y avait une reine, ce serait la scène, plus frugale toutefois, du *Monument de Ninive,* où des esclaves veillent ainsi sur l'épiderme d'un couple royal joyeusement attablé.... » *Journal de voyage.*



Cœna regis et reginæ. (Pag. 152).

dein musicus, qui harpam percutit, hanc scenam perficit, quæ in assyriacis monumentis haud raro repperitur (1).

Si hujusmodi descriptionibus nonnisi indirecte illustrata est prophetarum narratio, quæ obsessos in media cœna ebrios deprehensos fuisse refert, de benevolo tamen animo quo victor Cyrus in Babylonios eorumque deos fuit, certiores facti sumus.

LXI. — 2) Inscriptiones enim, — et hoc de supradictis documentis secundo notare præstat, — præsertim vero Cyri cylindrus, de pacificis hujus regis moribus agunt et de propenso animo quo in eum fuerunt nationes devictæ, et quo, pace restituta, talem ei reverentiam præstiterunt ut tota occidentalis Asia mox Cyro Domino acclamaverit. Sane, ut supra diximus, chaldaici scribæ, ex Cyri licentia, cum quodam verborum tumore regem inflate extollere potuerunt. Advertendum tamen est eumdem Cyrum, quem Marduk regem justum « ... sua dextera tuebatur, enutrivit in medio terræ (2), » ab Isaia vocari servum et Christum Jehovæ divinæque justitiæ defensorem, his propriis verbis : « Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes.... Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam (3). »

(1) Rawlinson, *Ancient Monarchies*, vol. I, p. 493, 580 sqq. — Vigouroux, *La Bible et les Découvertes modernes*, vol. IV, p. 475. 481.

(2) Cf. supra, p. 147.

(3) Is., xlv, 1, 13.

LXII. — 3) Tertio tandem urgendo advertimus cultum Cyri in deos ex inscriptionibus patere, quæ eum babylonicorum templorum restitutorem demonstrant. — Quæ quidem hujus temporis mentes a pristinis theoriis revocaverunt. Dum enim ninivitici et babylonici reges hucusque victarum gentium evertissent templa, idolaque tulissent, — ut infra amplius memorabitur, — ecce Cyrus, qui antea ut monotheista, studiosus Ahura-Mazdæ cultor, habitus fuerat, deum Marduk, qui babylonicis numinibus præerat, adoravit, templaque instauravit quæ, ex Nabonidi ignavia aut impietate, statuis destituta fuerant. Quod Cyri studium erga deos, benignum ejus animum in Judæos et hierosolymitanum templum explicat; primo tamen aspectu cum his prophetarum inscriptionibus pugnare videtur : « Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem contabuerunt et contrita sunt simul; non potuerunt salvare portantem, et anima eorum in captivitatem ibit (1).... Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram (2). » — « Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum.... Ecce dies veniunt, ait Dominus, et visitabo super sculptilia ejus (3). »

LXIII. — Et revera hæc contradictionem implicarent, si veterum commentatorum (4) sententiam

(1) Is., XLVI, 1, 2.

(2) Is., XXI, 9.

(3) JER., L, 2; LI, 52.

(4) Documentum, exempli gratia, præstat Commentarius in Is., XLI, 1, 2, qui sic se habet : « Vulgatus *confractum* (Bel) dixit pro *incurvatum*.

sequeremur, quæ verum exitii bellum a Cyro babylonicis numinibus illatum esse putabat. Tria contra nobis notanda videntur.

a) Prophetæ his verbis alludunt ad usitatos mores, quibus antea reges ninivitici aut babylonici, captis urbibus, deorum signis potiebantur. Hinc ab assyriacis artificibus describuntur milites, qui statuas ad ornandam, ut sic dicam, triumphi pompam tollunt. Jure ergo, eodem modo, prophetaverat Osee vaccam, samaritanum idolum, ab Assyriis abripiendam esse : « Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ; quia luxit super eum populus ejus, et æditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo, siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ultori (1). » Nec aliter loquitur Jeremias de vastatione Ægyptiorum templorum a rege Nabuchodonosor : « Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos (2). » Hinc prophetæ, quum confusionem Beli et Nebo prænuntiarent, sermonem moribus et doctrinis populorum, cum quibus agebant, accommodare studuerunt.

b) Soliti erant Assyrii et Chaldæi propriis numinibus victorias aut clades attribuere : non viri viros, sed dii deos impugnabant et vincebant; exinde hostium stragi raptum addebant numinum eorum prout

Nam tunc idola, quæ nec juncturas, neque flexibile dorsum, neque genua habent, *incurvari* dicuntur quando confringuntur.... Quia vero idola ex auro vel argento erant, quæ Medi et Persæ milites non ut colerent, sed ad alios usus deferebant, ea ut melius deferri possent, ex parte contundebant. » *Scripturæ Sacræ Cursus Completus* (Migne), tom. XVIII, p. 391.

(1) Os., x, 5, 6.

(2) Jer., xliii, 12.

captivorum, quorum signa in deorum suorum templis collocabant, quasi si æmula devictaque cum gentibus numina victoribus — ne dicam : victorum — numinibus reverentiam aliquatenus præstarent. Uno verbo, *signorum direptio* idem sonabat atque *clades*.



SIGNA DEORUM CAPTIVA DUCUNTUR. (Pag. 158).

Hinc iterum figurative tantum et allegorice locuti esse videntur prophetæ, non secus ac si simpliciter et directe declaraverint : dii babylonici deo Cyri subdentur, et populus qui unam cum eis personam domi militiæque gerit, exterarum gentium jugum accipiet (1).

LXIV. — *c*) Præterea, sive ad litteram, sive allegorice (2) explicanda sint Cyri instituta de babylonicis

(1) SAYCE, *Fresh Light from the Ancient Monuments*, p. 150.

(2) Quod, juxta austeriores, non plane constat, siquidem inscriptionum

signis, plenum et realem effectum gradatim obtinuerunt prophetarum minæ in ceteris obsidionibus, de quibus mox agetur, quæque Babylonem prorsus et funditus sustulerunt. His verbis Isaias mortem urbi minatur : « Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham. Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque ad generationem et generationem; nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Sed requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi ; et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis.... Et perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus ; et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum, et scopabo eam in scopa terens. » Et prosequitur propheta : « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon! Sede in terra; non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera.... Sede tacens, et intra in tenebras, filia Chaldæorum (1). »

Nec minus terribilis est Jeremias qui prædicat, faustis annis elapsis, a Deo vindice flectendum esse regem populumque Babylonis : « Visitabo... super terram Chaldæorum et ponam illam in solitudines sempiternas.... Et erit Chaldæa in prædam... Ecce novissima erit in gentibus, deserta, invia, et arens. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota

auctores, sacerdotio babylonico fungentes, suorum deorum verecundiam dissimulandam pretio habebant, ac proinde ipsis a Cyro honorem præstitum fuisse dictitare poterant.

(1) Is., XLVII. 1, 5.

in solitudinem; omnis qui transibit per Babylonem stupebit, et sibilabit super universis plagis ejus.... Quomodo versa est in desertum Babylon in gentibus?... Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor et sibilus, eo quod non sit habitator.... Quomodo facta est in stuporem Babylon inter Gentes!... Factæ sunt civitates ejus in stuporem, terra inhabitabilis et deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis.... Vastavit Dominus Babylonem.... Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, et portæ ejus excelsæ igni comburentur, et labores populorum ad nihilum, et gentium in ignem erunt, et disperibunt (1). »

LXV. — Ignavior fuerat Babylon, — utpote quæ subito in deditionem Cyri venerit, — quam ut statim dilaberetur. Tempore Herodoti, qui eam invisebat florentemque describebat, adhuc prospera erat urbs, quæ splendore et incolarum multitudine ceteras adeo devincebat, ut domini tantummodo, non vero status et ordo rerum, mutati esse viderentur. Regio vicina adeo opibus et facultatibus abundabat ut per quatuor cujusque anni menses regem Persarum, cum aula et exercitu, sustentare et alere posset (2). At ipse Cyrus Babylonem debilitare incepit, quum Susa et Ecbatana condidit.

Darius postea Babyloni amplius nocuit. Utpote unius dei cultui addictissimus erat, erga babylonica numina nullum studium habuit. Præterea vix im-

(1) Jer., xxv, 12; l, 10, 12, 13, 23; li, 37, 41, 43, 55, 58.
(2) D. Fairbairn, *On Proph.*, p. 212.

perio potitus, pluribus seditionibus coactus est urbem semel et iterum obsidere; immo viginti ante elapsi sunt menses quam ea potiretur. Acerrime enim restitit rebellium dux Nidintabel, qui a semetipso vocabatur : « Nabuchodonosor, Nabonidi filius, » cum quo periit genuina Babylonis dynastia. Hinc, etsi res non pro certo habeatur, illum memorat ultimum regem, quem modo exsultantem eximie pingit Isaias : « In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum ; sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo (1). » Modo vero de cœlo in infernum detruditur : « Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui; suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Universi respondebunt et dicent tibi : detracta est superbia tua, concidit cadaver tuum ad infernum, detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient.... Præparate filios ejus occisioni (2); non consurgent, nec hæreditabunt terram. »

In memoriam revocat Isaias quæ chaldaicæ fabulæ et carmen Istar in inferos descendentis referunt; hæc commentarii vice producere libet : « In Hades, in terram unde nemo revertitur, in terram tenebrarum. — Istar filia Solis inclinavit aurem, — imo filia Solis inclinavit aurem, — in domum tenebrarum, in habitaculum Irkalla, — in domum ex qua nullus est exitus, — in viam à qua non est regressus, — in

(1) Is., XIV, 13, 14.
(2) Is., XIV, 9, 10, 11, 15, 16.

domum in cujus introitu ablatum est lumen, — in locum ubi pulvis est esca, et lutum est area ; — lumen nunquam resplendet ; in tenebris degitur (1) » Nec alia est illa haud dissimilis descriptio inferni quam invenire est inter alia fragmenta epici carminis Izdubar : « In Hades, in regionem unde nullus revertitur declino, — extendo, sicut avis, alas meas. — Descendo, descendo in domum tenebrarum, in habitationem dei Irkalla ; — in domum a qua nullus est exitus, — in viam a qua non est regressus, — in locum cujus pulvis est eorum esca et lutum ipsorum area. — Horum duces, quasi volucres, pluma abducti, — et lumen nunquam splendet, in tenebris hujusce habitationis. — In domo amici mei apud quem ingredior — mihi servatur corona ; — cum illis coronatis qui antiquis diebus terram gubernarunt ; — quibus dii Anu et Bel dederunt horrenda imperatorum nomina (2). »

LXVI. — Post sex annos, nova seditione coactus est Darius urbis mœnia diruere. Dehinc ultra progressus est Xerxes, qui magnum Beli templum destruxit, aureamque dei statuam, — in victoriæ signum, ut diximus, — abstulit.

De hac ætate nihil ex inscriptionibus notum factum est, nec ullus alius fons datur præter græcos scriptores. Quum tempore Alexandri Magni præceps rueret urbis ruina, rex eam extollere et toti imperio præponere studuerat, quum febri in euphraticis paludibus correptus occubuit.

(1) Schrader, *Die Höllenfahrt der Istar*, Giessen, 1874, p. 9.
(2) G. Smith, *The Chaldean Account of Genesis*, p. 227.

Seleucus Nicator duplici proposito urbi detrimentum injunxit, quum Seleucia ad Tigridem condita permultos Babylonis incolas eo allexit, quumque potestatis sedem Antiochiam transtulit.

Frustra Babyloni magis benevolo animo fuit Antiochus, qui in cylindro recens reperto vocatur : « Antiochus, rex magnus, rex potens, rex multitudinis, rex Babylonis, rex terrarum, repostor templorum Isagil et Izida (1). »

Ruina igitur Babylonis pedetentim et quasi per gradus complebatur, ita ut, Adriani tempore, teste Pausania, « Βαβυλῶνος δὲ ταύτης ἥντινα εἶδε πόλεων τῶν τότε μεγίστην ἥλιος, οὐδὲν ἔτι ἦν εἰ μὴ τεῖχος (2). » Unde tempore Strabonis ejusdem civitatis situs nihil aliud ac immensum desertum evaserat : « Ἐρημία μεγάλη ἐστὶν ἡ μεγάλη πόλις (3). »

S. Cyrillus Alexandrinus testatur tempore suo, quinto nempe ineunte sæculo post Christum natum, ita obstructas esse Euphratis derivationes, ut Babylon, quasi ingens palus facta (4), Isaiæ et Jeremiæ veritatem declararet : « Et ponam eam... in paludes aquarum (5). » — « Ascendit super Babylonem mare, multitudine fluctuum ejus operta est (6). »

(1) De hac ultima Babylonis historia, cf. auctores jam laudatos : SAYCE, *Fresh Light from the Ancient Monuments*, ch. VII, *Nebuchadrezzar and Cyrus*. — E. A. BUDGE, *Babylonian life and History*, ch. VII, *Babylon under the rule of the Persians and unter Seleucus*.

(2) PAUSANIAS, lib. VII, cap. XXXIII.

(3) STRABO, lib. XVI, 15.

(4) CYRILLUS ALEXANDR., ap. Knabenbauer, *in Is.*, I, p. 327 « . . ut quæ regio olim clara et celeberrima erat, et reliquarum regina et gloriosissima dicebatur, ea luti barathrum ac puteus evaderet corruentibus in perditionem. »

(5) Is., XIV, 23.

(6) JER., LI, 42.

LXVII. — Crevit exinde desolatio, adeo ut nostris temporibus ex illa urbe, quæ totius Orientis caput fuit, nihil nisi desertus horridusque locus remaneat. Ingentes hinc fossæ, aliqua inde mœnia tum laterculorum tumuli, tum immensus campus, cujus subalbidum et inaratum solum ne Arabum quidem tentoriis, sed silvestribus diffunditur dumis, Babylonem fuisse testantur. Tarda fuit, sed exploratissima Dei ultio secundum illud prophetæ Habacuc : « Quia adhuc visus procul ; et apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit (1). »

(1) Hab., ii, 3.

CAPUT V

Onus contra Phœniciam et Tyrum.

LXVIII. — Inter insulamm Aradum, circa septentrionem, et Carmeli peninsulam, circa meridiem, Mediterranei maris pars, quam veteres *phœnicium mare* vocant, præjacet regioni, tum præruptis Libani clivis, tum angustis vallibus formatæ, quæ a Græcis et ulterius a Romanis Φοινίκη et Phœnicia (1) nominata est. Amœnam hanc terram, quinquaginta leucas in longitudinem, decem vero in latitudinem porrectam, spissæ tegunt silvæ, fontes aut arte factæ cisternæ ita rigant ut agrorum studioso cultu floruerit et etiam nunc quandoque vigeat (2). Non autem

(1) Juxta plurimos auctores, hæc denominatio ortum ducit a frequentibus palmis (Φοῖνιξ) quibus hæc regio tota vestiebatur; unde Græci qui primi hanc terram inviserunt *terram palmarum* seu Φοινίκην vocarunt. Cf. Movers, *Die Phœnizier*, tom. II, 1 Th., p. 1-4. — Rawlinson, *History of Phœnicia*, p. 1. — Aliam tamen etymologiam proponit Maspero: « En fait, *Phœnix* est une forme élargie de *Phoun (Pœni, Puni)*, vieux nom national que les Cananéens portaient dans leur patrie primitive et qui les suivit dans toutes leurs migrations. » *Hist. anc.*, p. 189.

(2) « La Phénicie est le seul pays du monde où l'industrie agricole ait laissé des restes grandioses... Dans la région de Tyr, ces restes d'une primitive économie rustique se rencontrent presque sur chaque hauteur et toujours avec le même caractère : vastes travaux dans le roc, restes de maisons carrées, bâties sans style, en belles pierres mal jointes, nombre énorme de citernes, de caves, de cuves d'une grandeur extraordinaire.... » Renan, *Mission de Phénicie*, p. 633.

sola agricultura, sed imprimis artificiis clari facti sunt, per universum orbem ab antiquis gentibus cognitum (1), Phœniciæ operarii qui lanæ, xylo bombycique texendis, aut ostro tingendis, incubuerunt : jacentia enim in littoribus suis conchylia legebant, unde purpureus color parabatur.

Præterea, fabricandi vitri artem summopere fovebant Phœnices : quidquid enim de his fabulose Plinius narret (2), vero aliquid tribuatur necesse est, ex veterum testimoniis quæ una testantur circa Sidonem et Sarepta congestas esse vitreorum officinas. Artibus etiam aliis indulgebat idem populus, qui Græcos vasa fingendi et pingendi, immo æra cælandi artem docuit. Non semel in Bibliis industria Phœnicum, qui in templo et in æde Salomonis operam navabant, extollitur (3) ; eamdem tanti habebant Ægyptii ut directe artificibus vasa facienda locaverint, aut eos monumentorum suorum incitaverint memoria ; hinc ægyptiacæ effigies et imagines in eorumdem poculis sæpe apparent (4). Nec minus eis favebant Græci, quippe quorum in homericis carminibus, inter summi pretii vasa illa proferebantur, quæ Phœnices tum ex auro, tum ex ebore, fabricabant (5). Imprimis de ebore sculpto agit Ezechiel (6), quod totam orientalem Asiam, nullo obstante æmulo, eorum cura et commeatu invadebat. Nini-

(1) Ez., xxvii, 21.

(2) Plinius, *Hist. natur.*, xxxvi, 65.

(3) III (I) Reg., vii, 14, 15, 16, 21 ; II Chron., ii, 14, et *passim*.

(4) Rawlinson, *History of Phœnicia*, 209-231. — Clermont-Ganneau, *L'Imagerie Phénicienne*, passim.

(5) Hom., *Odys*. xv, 460.

(6) Ezech., xxvii, 6, 15.

viticæ ædes his politissima arte perfectis operibus ornabantur, adeo ut, Assyriæ ruinas fodiendo, nonnullæ adinventæ sint eburneæ tabulæ, Tyri aut Sidonis artificibus exsculptæ.

At præter ingenuas artes, alia fuit ratio cur Phœnicum res prospere cederent, portuum nempe situs, qui insulis, ut Tyro et Arado, aut promontoriis, ut Beryto et Sidoni, imponebantur. Hic populus, exterarum gentium migratione forsan actus, navigioque non tam studio quam necessitate incumbens (1), terrarum penetralia expedite occupare non poterat, sed maris præsidio tutus libertatem aliaque sibi commoda vindicabat. Exinde, despectis procellis, altum tenebat et apud longinquas gentes ligna, metalla et cetera quæ struendis ædificiis requiruntur sibi comparabat; nec ullus per integra sæcula fuit qui de hujusmodi commeatibus certare imitando ausus sit.

LXIX. — Inter ceteras autem urbes, eminet Sidon quæ, quanquam metropolis vices non gerit, imprimis tanta in alias auctoritate pollet, ut Sidoniorum nomen et Phœnicum apud exteras gentes confundatur.

Postquam ruit ægyptiaca potestas, quæ, vigente XVIII et XIX dynastia, in totam occidentalem Asiam et Chananæorum littora usque ad regis Ramses II mortem dominata fuerat, Sidon cognomine « Magna (2) » sese extulerat. Classis enim ejus primum regi Thoutmes III insulam Cyprum domuit

(1) Lenormant, *Hist. anc. de l'Orient*, tom. VI, p. 105 sqq.
(2) Jos., xi, 8; xix, 28.

tributaque a remotissimis gentibus (1) exegit, dein in Phœnicum gratiam stationes Rhodi, Pari et in aliis Ægæi maris insulis condidit, trajectoque Bosphoro Pontum Euxinum petiit. Circa occidentem, africanum littus prævecti sunt Phœnicum nautæ, coloniasque tum ad majorem Syrtim, tum in futuro Carthaginis loco, constituerunt (2).

Dehinc conata est Sidon vicinas gentes non jam mari, sed terra, superare : legatos in urbem Laïs, ad Jordani fontes (3), misit, adfuitque urbibus Accho, Achazib et Aphec, quæ per se minores erant quam ut Hebræis resistere possent; tandem apud omnes littoris gentes plurimum valuit.

Nec tamen diu dominari potuit Sidon : circa finem XIX dynastiæ, mediante XV ante Christum natum sæculo, juncti fœdere Pelasgi Libyesque Mediterranei maris insulas invaserunt et in eo fuerunt ut, regnante Menephta, Ægypto potirentur. Hujus belli exitus multum potuit in maritimis cursibus et commeatibus apud Phœnices coercendis; orti sunt enim quidam Sidoniorum æmuli qui eorum mercaturæ obstiterunt, emporiaque diruerunt in insulis sparsa.

Circa idem tempus, et in eadem irruptione, quam ægyptiaci textus a « maritimis populis (4) » factam declarant, Philistini inter Phœniciam et Ægyptum

(1) Ingens classis qua superbit Thoutmes III et de qua in Annalibus sanctuarii Karnak agitur, nihil aliud esse potest quam sidonia classis, eidem regi commodata: Ægyptii enim nunquam navigio studuerunt. Cf. Curtius, *Griechische Geschichte*, tom. I, p. 32 sqq. — Lenormant, *Hist. anc. de l'Orient*, tom. II, p. 198; tom. VI, p. 491.

(2) Cf. Movers, *Die Phœnizier*, tom. II, 2 Theil, p. 112-142.

(3) Jud., xviii, 7.

(4) *R. P.*, vol. IV, p. 40.

littus occupaverunt : terribiles vicinis erant, maritimisque latrociniis ita apti ut Phœniciæ portibus mox imminerent. Exacto admodum tertio et decimo ante Christum sæculo, philistæa classis Ascalone ancoras solvit, inopinatoque in conspectum Sidonis venit, Phœnicum civitatem occupavit et evertit (1). Etsi Sidon eo ictu perculsa fuerit ut summum imperium perpetuo amitteret, damna tamen aliquatenus restituit, quatenus in cuneiformibus inscriptionibus inter Ninive aut Babyloni subditas civitates recenseri meretur (2).

Tempore prophetarum, satis valida erat ut anathematibus adversus Tyrum latis jungeretur, speciatimque ab Ezechiele condemnaretur his verbis : « Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, Sidon (3), et glorificabor in medio tui : et scient quia ego Dominus, cum fecero in ea judicia, et sanctificatus fuero in ea. Et immittam ei pestilentiam, et sanguinem in

(1) Justin., *Hist. Philipp.*, xviii, 3.

(2) « 84... Tunc temporis in latere Libani pergebam; ascendi 85. ad magnum mare in terra Aharri (Phœnicia). Secus magnum mare exercitus meos disposui; diis sacrificium obtuli. Tributum regum qui in littore maris 86. regis Tyri, *Sidonis*.... 87... argentum, aurum.... tributa accepi. » *Assurnazirpal Inscript.* *W. A. I.*, tom. I, tab. 25, col. III. — Cf. *R. P.*, tom. III, p. 73-74. — Schrader, *Keilinschrift. Biblioth.*, Band I, p. 109.

» 102... In anno vigesimo primo mei regni, transivi vigesima prima vice Euphraten et tetendi in urbes 103. Hazael Damasceni. Quatuor ejus urbes cepi et abstuli tributum Tyri, *Sidonis...* » Layard, *Inscriptions*, tab. 92. — Cf. Schrader. *Keilinschr. Bibl.*, Band I, p. 143.

« 38. Magnam Sidonem, parvam Sidonem... 43, terror armorum Assur dejecerat. » *W. A. I*, tom. I, tab. 38, col. II.

(3) « 27 Juin 1890... Saïda! que j'aperçois depuis de longues heures et qui semble toujours fuir.... C'est vraiement Sidon, *la fleurie*, avec son avenue de tamarins, ses jardins délicieux, où croissent à l'envi orangers, citronniers, grenadiers et bananiers. Décidément elle a sur Tyr, sa rivale, le prix de beauté. Et cependant ce n'est plus qu'une vieille coquette, dont les fleurs sont toute la jeunesse : car à l'intérieur rien que des ruelles étroites, d'infectes masures, un *Khân français*, jadis l'entrepôt de notre commerce en Syrie, un port, vrai rivage d'Arras.... A demain les ruines ... » *Journal de voyage.*

plateis ejus : et corruent interfecti in medio ejus gladio per circuitum : et scient quia ego Dominus. Et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis, et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum qui adversantur eis : et scient quia ego Dominus Deus (1). »

Brevissima est, ut apparet, mina adversus Sidonem lata, utpote quæ tunc temporis Tyro subdebatur. Ceterum Phœnicum civitas israeliticis rebus parum commixta fuit : nonnisi semel incolæ ejus cum populo Dei pugnaverunt. Quod autem ad mores attinet, pessimum et magnum momentum adjecit, quum Israelem ad idololatriam traxit Jezabel, filia regis sidonici Ethbaal, cum Achab matrimonio conjuncta (2).

Ezechielis vero prophetia non statim effectum obtinuit : etsi enim de sorte Sidonis, quo tempore Nabuchodonosor Syriam invasit, certiores nondum facti simus, verisimile est veterem Tyri æmulam, præ odio a conatu Chaldæis resistendi deterritam, obsidionis calamitates vitasse, ipsamque ex longa Tyri oppugnatione aliquos percepisse fructus. Ideo, dominantibus Persarum regibus, floridissima iterum videtur Sidon (3), cujus triremes inter persicas classes summopere valent (4).

At rebellio ejus adversus Persas extremam intulit ruinam, qualem memoria hominum vix narrat. Sidonii enim, qui tunc opulentia eminebant, Satrapum

(1) Ez., XXVIII, 22-24.
(2) III (II) Reg., XVI, 31.
(3) Diod. Sic., XVI, 44.
(4) Herodot., *Histor.*, lib. VII, § 44, 96, 100, 128.

probris lacessiti, Nectanebo Ægypti rege aliisque Phœnicibus hortantibus, omni ope atque opera nisi sunt ut a Persis deficerent; hostilis injuriæ exordium fuit incendium paradisi regii in quo Persarum reges diversari solebant, et excisio arborum hujusce horti. Ista insolentia exacerbatus Artaxerxes Ochus numerosa peditum et equitum agmina Babylone contracta in Phœnices movet. At Tennes, Sidoniorum regulus, quum audiisset quanta vi hostis immineret, privatam salutis viam sibi mire constituit, urbem ipsam Sidonem regi Artaxerxi proditione tradendo. Urbe igitur capta, Sidonii, qui naves universas cremaverant, ne quis aufugere posset, seipsos cum liberis et uxoribus intra ædes conclusos admotis flammis comburere statuerunt; hoc vero incendio consumptorum numerus quadraginta millia excessisse fertur. Urbis insuper aream, post hanc cladem, rex Artaxerxes magno talentorum pretio vendidit (1).

Attamen, fortunam recuperare studuit iterum Sidon, quippe quæ, teste Polybio, talem Ptolemæo Philopatri timorem incusserit ut, positis ante eam castris, oppugnationem suscipere non sit ausus (2). Ulterius, Julius Cæsar, quoad res Hyrcani, litteras ad magistratus, senatum populumque Sidonium mittit (3); Strabo splendorem urbis (4), Plinius secundus artificia laudat (5); etiamnum, Tyro felicior, stat et prospere cedit (6). Quidquid vero sit,

(1) Diod. Sic., xvi, 41-45.
(2) Polyb., v, 70.
(3) Josephus, *Ant. Judaic.*, lib. xiv, 10, 32.
(4) Strab., xvi,
(5) Plin., *Hist. Nat.*, lib. v, 17.
(6) « Le Dominicain Brocard dit avec sa justesse ordinaire : « Sidon, magna urbs Phœniciæ, cujus magnitudinem adhuc ruinæ testantur....

ruina ab Artaxerxe Ocho ei illata sufficit ut prophetæ verba ad effectum pervenisse pateat.

LXX. — Prima Sidonis a Philistinis eversæ ruina magno fuit urbi vicinæ emolumento, Tyro videlicet, quæ terra marique in Sidonis locum successit. Tyrus, צר *Tzur*, cujus nomen idem sonat ac « scopulus, » condita est, ut ferunt, in insula quæ mille circiter passuum freto a terra disjungebatur, ita ut ab insidiis tuta diu fuerit : orientales nempe potestates, niniviticam scilicet et babylonicam, vitavit, nec potuit ab Alexandro oppugnari nisi isthmo arte facto.

Urbi quæ in insula stabat, alia in continenti terra addebatur, quæ merces comitatuum (1) susceptas tum ad *ægyptiacum* insulæ portum, circa meridiem, tum ad *sidonium*, circa septentrionem, dirigebat. De hac altera Tyro, seu, ut aiunt, *Palætyro*, fere nihil amplius novimus : « etiam periere ruinæ, » quarum lacunam testimonia historicorum vix explent. Quidam docent eam maritima Tyro antiquiorem fuisse, nitunturque cuidam vetustissimo Britannici Musæi papyro, in quo ficte narratur iter ab ægyp-

De ruinis tamen ejus alia est ædificata, parva quidem sed munita. » (P. 26, édit. Laurent).... La moderne Saïda doit donc être considérée, moins comme une continuation directe de l'antique Sidon que comme un petit amas de maisons fortifiées, qui, surtout depuis les Croisades, s'est formé autour du port de la vieille ville.... C'est une ville moderne, avec des débris antiques, dont bien peu sont reconnaissables. Si l'on excepte les éternels fûts de colonnes encastrés dans les murs, les blocs gigantesques qui forment le vieux port, et les entailles dans le roc qui se voient au port et dans l'île, Saïda comme Sour, n'a conservé au-dessus du sol presque aucun vestige de son passé phénicien. » RENAN, *Mission de Phénicie*, p. 361, 362.

(1) PERROT ET CHIPIEZ. *Histoire de l'Art dans l'antiquité*, tom. III, p. 21.

tiaco quodam legato in Syriam factum, circa finem regni Ramses II (1).

Quidquid sit de hac theoria, continentalis urbs, Palætyrus, quæ sola poterat mœnia extendere, ex supradicta Sidonis eversione summam utilitatem cepit, adeo ut incolarum numerus mox duplicatus fuerit.

LXXI. — Hinc Phœniciæ oritur nova ætas, qua dominatur Tyrus, præcipuasque septentrionalis Palæstinæ littoris urbes sibi subdit. Quia hucusque eædem urbes inter se divisæ permanserant mutuaque neglexerant commoda, jam facilis externis hostibus præda evadebant; quod ut vitarent periculum, in unum coadunatæ sunt populorum fœdus, servata genuina auctoritate et pristina potestatis forma, et Tyri regem, quasi unius gentis principem, ipsæ, unaque earum reges, elegerunt. Sive quia veterem metropolis memoriam servare studebat, sive quia præcipua vis Sidoniis, vel recens obrutis, remanserat, Tyri rex vocatus est « Sidoniorum rex (2), » nec unus tamen idemque fuit cum subdito « Sidonis rege. » Ipse omnia quæ ad fœderatorum populorum commoda pertinebant, statuebat, commeatibus, coloniis, exercitibus classibusque præerat, et de commercio cum externis gentibus agebat; ei aderant legati qui quoque anno ab urbibus mittebantur.

Hinc, quia Aradus sola urbs erat quæ tyrium impe-


(1) Chabas, *Voyage d'un Egyptien*, Châlons, 1866. Cf. *R. P.*, vol. II, p. 111.


(2) Ph. Berger, *La Phénicie*, p. 7.

rium non suscepisset, Tyrus longe lautissima et validissima inter littoris urbes facta est. Quia autem, quanquam omnes incolæ maritimis rebus incumbebant, præ numero et amplitudine navium impar erat quæ nautas sufficientes sibi compararet, cogebantur, teste Ezechiele, ceteræ urbes nautas subministrare; Tyrus vero ipsa navium præpositos inter suos cives eligebat : « Habitatores Sidonis et Aradii fuerunt remiges tui; sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui (1). » Terrestris exercitus, coloniis destinatus, externis mercenariis constabat; urbem Tyrum Aradiorum cohors asservabat (2). Ceteræ copiæ ex Lydiis, Libycis, aliisque aut Africæ aut Asiæ minoris accolis colligebantur.

Quo semel statuto fœdere, audacius et latius extendit Tyrus maritimum opus quod Sidon adimplere inceperat. Non jam studiis nautarum sufficiebant insulæ in Ægæo mari sparsæ, præsertim quum hellenicæ gentes, crescente incolarum numero, iis exinde æmularentur (3). Ut ergo augendis vel saltem servandis nundinis merces suppeditarent, artificiis commeatibusque aptam materiam subministrarent, potestatemque asservarent, in alia maria soli navigare, in alias pergere regiones, conati sunt, et occidentem versus incedere statuerunt. Hinc Tyrus colonias Melitam et in Siciliam misit, Uticam et Hipponem in septentrionali Africæ littore condidit, imprimisque Hispaniam adinvenit, in quam reperta auri, argenti plumbique copia permultos colonos

(1) Ez., xxvii, 8.
(2) Ez., xxvii, 8-11.
(3) Duruy, *Histoire des Grecs*, tom. I, p. 29.





Tyrle triremes. (Pag. 177).

accivit. Transmissum est fretum Calpe (*Gibraltar*); Malaca, Gades et Tharsis (1) Tyriæ mercaturæ patuerunt. « *Naves Tharsis,* » ut vocabantur (2), Tyro laudi erant; quarum tamen nulla certa remanet imago : phœniciæ enim naves, quæ in Sargonidum anaglyptis asservantur (3), earum tantum navium effigiem præbent quæ circumvectioni aut maritimo bello apud Phœnices inserviebant.

LXXII. — Tunc Tyrus potestatis culmen attigerat; poterat ergo Ezechiel, etsi serius summo imperio destituta sit, tum ex civilibus bellis, tum ex præclaris dimicationibus cum Assyriis et Babyloniis (4), habita præteriti etiamque præsentis tempo-

(1) Cf. Movers, *Die Phœnizier und Turdetanien*, in *Zeitschrift für Philosophie und kath. Theologie,* 1843; — Lenormant, *Tarschisch, étude d'ethnographie et de géographie biblique,* in *Revue des Questions historiques,* Juillet 1882.

(2) Sæpius in Bibliis agitur de classe vel de navibus Tharsis (III (I) Reg., x, 22; II Chron., ix, 21), quod explicari nequit de navibus urbem Tharsis petentibus, quum his locis alludatur ad itinera in Ophir per Mare Rubrum. Unde hæc expressio « naves Tharsis » generica appellatio est propria majoribus navibus, ut gallice dicimus, habita amplitudinis ratione « les *Transatlantiques*, » etiamsi atlanticum mare non trajiciant.

(3) De origine phœniciana harum triremium dubitari nequit, si attendatur ad inscriptionem cuneiformem in qua Sennacherib narrat a se inferioris Chaldææ rebelles, in regionem Ælam fugaces, lacessitos et junctos esse, postquam Persicum sinum trajecisset in *Syriacis navibus :* « in navibus terræ Hatti transmeavi mare. » (*Taylor-Cylindrus*, col. 4, l. 26.) Hæc classis, ut videtur, a phœniciis artificibus circa Euphratis ripas condita, exinde vecta erat usque ad « magnum orientis solis mare. » Anaglyptum quod contra describitur captivorum translationem repræsentare videtur, de qua agit Sennacherib his verbis Annalium : « Viros Bit-Yakin, cum suis diis et incolis Ælam, cepi, ne unum quidem reliqui : eos navibus imposui et transfretavi. » *W. A. I.* vol. I, tab. 40, lin. 31 sqq. — Cf. Perrot et Chipiez, *Histoire de l'Art dans l'Antiquité*, tom. III, p. 33, ad notam.

(4) De hac tota Tyri historiæ periodo, cf. Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient,* tom. VI, p. 503, 524. — Rawlinson, *History of Phœnicia,* p. 418-459.

ris ratione, nomine Jehovæ exclamare : « O Tyre, tu dixisti : perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum ; abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris; cedrum de Libano tulerunt ut facerent tibi malum. Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos et transtra tua fecerunt tibi ex ebore indico; et prætoriola de insulis Italiæ. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum ut poneretur in malo hyacinthus et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.... Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas.

» Græcia, Thubal et Mosoch, ipsi institores tui ; mancipia et vasa ærea advexerunt populo tuo... insulæ multæ negotiatio manus tuæ ; dentes eburneos et ebeninos commutaverunt in pretio tuo. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gemmam et purpuram, et scutulata, et byssum, et sericum, et chodchod proposuerunt in mercatu tuo.... Naves maris, principes tui in negotiatione tua ; et repleta es, et glorificata nimis in corde maris (1). »

Atqui adversus hoc orbis totius emporium, in quo artes (2) et disciplinæ florebant, quodque lautissima potestate fruebatur, primum minas dirigit Isaias, in quibus ferocis urbis ruinam prædicat. Cujus vaticinii sane causæ erant Tyriorum superbia et impietas,

(1) Ez., XXVII, 3-25.

(2) Cf. LENORMANT, *Premières civilisations*, tom. II, p. 313 sqq. — SAYCE, *The Contemporary Review*, Dec. 1878.

eorumque gaudium inter adversas Israelis res et contemptus erga populum Dei.

Prophetia eximie structa in quatuor strophas dividitur.

a) Tyria classis, a Tharsis redux, quum Cyprum advenit (1), de ruina urbis certior fit. Crepidines, olim turbis refertæ, desertæ nunc sunt. Ipsa urbs celeberrima comparatur, quod ad gemitus attinet, lacrymabundæ mulieri quæ de sterilitate sua ingemit (v. 1-5).

b) Nulla jam Tyro spes remanet, eo saltem loco quo stabat; longe apud colonos perfugium quærat. Quis vero adversus eam surrexit, quæ coronas undique spargebat, cujus mercatores principes, institoresque domini habebantur? Dominus nempe, qui superbiam ejus confringere voluit (v. 6-9).

c) Alia autem probra Tyrum manent. Lapsa enim metropoli, coloniæ libertatem sibi vindicabunt, sponteque porrigentur ut Nilus exundans. Nedum erga pristinam Tyrum misericordia moveantur, etiamsi effugium impetret, eam hortabuntur ut recedat et auxilium alio quærat. Permanebit ergo, et Chaldæi vindictam Dei ulciscentur. Ululent ergo naves maris coram tali clade (v. 10-14).

d) Post incertum tempus, Tyrus resurget : elapsis septuaginta annis, acres commeatuum curas iterum suscipiet, ita tamen ut ea omnia Domino sacra fiant, fideliumque servorum commodis et mercedi inserviant (v. 15-18).

Cujus illustris prophetiæ textum ipsum pro-

(1) Cethim (Kittim) incolæ sunt urbis seu portus Citium, in insula Cypri, qui, latiore sensu, totius insulæ, necnon et aliarum insularum in medio Mediterraneo Mari incolæ dicuntur.

ponere juvabit : « Ululate, naves maris (1) : quia vastata est domus, unde venire consueverant : de terra Cethim revelatum est eis. Tacete, qui habitatis in insula : negotiatores Sidonis, transfretantes mare, repleverunt te. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus : et facta est negotiatio gentium. Erubesce, Sidon; ait enim mare, fortitudo maris, dicens : Non parturivi, et non peperi, et non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines. Quum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cum audierint de Tyro.

» Transite maria, ululate, qui habitatis in insula : numquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam (2), cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.

» Transi terram tuam quasi flumen, filia maris; non est cingulum ultra tibi (3). Manum suam extendit super mare, conturbavit regna : Dominus mandavit adversus Chanaan ut contereret fortes ejus, et dixit : Non adjicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens, virgo filia Sidonis : in Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi : ecce

(1) Heb. אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ, *naves Tharsis*, quæ ibant in Tharsis.

(2) הריטעמה, *coronans*, quæ quidem coronas distribuit et reges instituit in variis suis coloniis. Cf. JER., XXV, 22.

(3) Hebr. « Transi terram tuam, sicut Nilus, filia Tharsis; non est cingulum amplius. »

terra Chaldæorum talis populus non fuit, Assur fundavit eam : in captivitatem traduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam. Ululate, naves maris, quia devastata est fortitudo vestra.

» Et erit in die illa : in oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies regis unius ; post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. Et erit post septuaginta annos, visitabit Dominus Tyrum et reducet eam ad mercedes suas : et rursum fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ. Et erunt negotiationes ejus et mercedes ejus sanctificatæ Domino ; non condentur, neque reponentur : quia his qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem (1). »

LXXIII. — Quæstio autem summopere agitatur quo tempore adimpleta sit ea prophetia, et quænam obsidio tyriæ ruinæ causa fuerit. Res integra versatur in explicando versiculo tertio decimo, qui *terminum a quo* statuit. Neglecta Vulgata versione, primario textui non satis consona : « Ecce terra Chaldæorum : talis populus non fuit, Assur fundavit eam ; in captivitatem traduxerunt robustos ejus... » ad hebraicum textum recurrimus :

הֵן אֶרֶץ כַּשְׂדִּים זֶה הָעָם לֹא הָיָה אַשּׁוּר יְסָדָהּ לְצִיִּים

Inter permultas opiniones quæ de hac interpreta-

(1) Is., xxiii, 1-18.

tione ortæ sunt, tres eminent, quarum prima de Babylonia ab Assyriis occupata, secunda de Tyro ab Assyriis oppugnata, tertia autem de eadem urbe a Nabuchodonosor obsessa agi docet. Duæ primæ interpretationes imprimis prolatæ sunt, ne prophetia vere ante effectum emissa appareat.

A) Prima theoria docet prophetam in priore versiculi parte de Chaldæorum regione loqui, in secunda de capite ejus babylonico, cujus ruina regionis ruinam secum trahet; in tertia ad Assyrios referuntur omnia verba : « Ecce terra Chaldæorum ; Assur fundavit (paravit) eam deserticolis, erigunt Assyrii turres suas, palatia ejus evertunt.... »

Alludit ergo propheta ad quoddam recens factum, quod futuram Tyri cladem præfigurat. Quia Babylon Assyriæ præda prorsus facta est, quomodo resistet ipsa Tyrus? — Jam vero quæritur ad quam Chaldææ irruptionem hic alludatur. Ter enim, tempore Isaiæ, Assyrii Babyloniam invaserunt, urbeque potiti sunt, modo, regnante Sargon, anno 709, modo, regnante Sennacherib, annis 703 et 691 (1). Versiculus autem tertius decimus melius convenit cum tertio bello; quippe quod in Annalibus Sennacherib ita refertur : « Urbem et domus, a fundamentis usque ad summum everti, suffodi, flammis absumpsi (2). »

Huic vero interpretationi plurimæ difficultates objiciuntur : *a*) sermonis rumpit ordinem, et cum contextu non convenit, in quo sola Tyrus commemoratur : versiculus duodecimus dedecus ejus nuntiat, decimus quartus gemitus ejus profert; hinc requiritur

(1) Cf. G. Smith, *Assyria*, p 107, 110, 123.
(2) *R. P.*, ix, p. 28.

ut in interposito versiculo de ejusdem urbis, non de Babylonis, calamitatibus etiam agatur. — *b*) Nullibi invenitur mentio Tyri ab Assyriis captæ, *post* tertium Sennacherib bellum adversus Babylonios : *antea*, e contra, circa annum 701, Phœniciam invasit et Sidone potitus est Sennacherib, omissa prorsus in inscriptione Tyri sorte (1). — *c*) In hac hypothesi, septuaginta annorum in versiculo decimo octavo relatorum interpretatio mere arbitraria evadit (2).

LXXIV. — *B*) Alii auctores, ut Gesenius, Umbreit, Knobel, non Babylonis eversionem a Ninivitis factam ibi inveniunt, sed e contra Babylonis ab Assyriis conditæ mentionem, versiculum tertium decimum hoc modo interpretantes : « hic populus antea non erat populus; Assyrii eam (terram Chaldæorum) deserticolis paraverunt, » id est Chaldæis, qui nomades erant et sedibus incertis per loca deserta errabant, fixas sedes assignaverunt. Versiculi autem finem de variis obsidionibus quibus Assyrii Tyrum cinxerunt, interpretantur (3).

Hæc vero explanatio nullimode accipienda est. Si enim — *a*) priorem versiculi partem attendas, præterquam quod istiusmodi explanatio cum historica notitia

(1) « 34. In tertia mea expeditione perrexi in terram Ḥatti, 35. Luli, regem urbis Sidonis terror splendoris 36. majestatis meæ compressit et longe (alias : ex medio occidentali terra in terram Cyprum) 37. in medium mare aufugi : tunc subjeci suam terram, 38. magnam Sidonem, parvam Sidonem. 39 Betzitti, Sarepta, Maḥalliba, 40. Hosah, Aksib, Acco.... » *Taylor Cylindrus*, col. II. — Cf. SCHRADER, *Keilinschr. Biblioth.*, Band II, p. 91. — *R. P.*, vol. I, p. 35; VII, p. 59.

(2) De hac theoria, cf. CHEYNE, *The prophecies of Isaiah*, vol. I, p. 139. — DRIVER, *Isaiah : his Life and Times*, p. 105, 106.

(3) Hanc interpretationem longius evolutam invenies apud Rosenmüller, *Scholia in Vet. Test.*, part. III, vol. II, p. 187 sqq.

de condito babylonico regno non congruit, non magis quam supra relata theoria contextui aptatur; — *b*) in posteriore versiculi parte, non de Assyriorum bello adversus Tyrum, sed de Chaldæorum minis, expressis verbis, agitur : « Ecce terra Chaldæorum; » — *c*) præterea non videntur Salmanasar et Sargon Tyrios impugnasse.

α) De Salmanasaro IV fere nulla remanent monumenta, ita ut historiam ejus nonnisi ab externis fontibus cognoscere possimus (1). Atqui, apud Menandrum, a Josepho asservatum (2), legitur Tyrus non a Salmanasaro victa fuisse, sed e contra classis ejus sexaginta naves eruisse. Nihil peregit Salmanasarus nisi in Tyri suburbiis, quippe qui milites jussit, ut urbem siti domare posset, aquarum evertere ductum qui fontes Ras-el-Aïn (3) Tyro suppeditabat. At Tyrii fossis puteis dolum istum deluserunt, et per quinque integros annos restiterunt, donec ad rebellionem quamdam alio pacandam hostes discesserunt (4). — β) Nec magis Tyro potitus est Sargon. Consilium enim ei erat Phœniciam omittere, et satis ducere tributa quæ ipsi pro assyriaca tutela urbes benigne offerebant. — γ) Utrum Sennacherib Tyro potitus sit necne, quæstio solvi non potest. Decessoris vestigia non secutus, Phœniciam acerrimo impetu invasit (5); at inter urbes quas oppugnavit, quasque

(1) Vigouroux, *La Bible et les Découvertes modernes*, tom. IV, p. 120.

(2) *Antiq. Jud.*, lib. IX, 14, 2.

(3) Perrot et Chipiez, *Hist. de l'Art dans l'Antiquité*, tom. III, p. 357. — Lortet, *La Syrie d'aujourd'hui*, p. 123.

(4) Rawlinson, *History of Phœnicia*, p. 447. — Lenormant, *Hist. anc. de l'Orient*, tom. VI, p. 523.

(5) Cf. *R. P.*, vol. I, p. 35.

omnes enumerat (1), nulla fit Tyri mentio; quidquid ergo (2) quidam interpretes contra censuerint, non videtur urbem vi occupasse.

LXXV. — *C*) Tertia demum superest sententia (3), cui plene assentimur, et quæ a prophetica præscientia non abhorret. Ad hebraicum ergo textum recurrentes, illum sic interpretari non dubitamus : « *Ecce terra Chaldæorum; — iste populus non fuit, Assyriam tradidit deserticolis (seu feris deserti), — erigunt turres suas, ejus palatia evertunt, ponunt eam in ruinam.* »

Igitur Chaldæi indigitantur tanquam divinum judicium adimpleturi in Tyrum sive turribus erigendis, sive urbe expugnanda et destruenda. Nec mirum, si per sententiam interjectam populus ille qui, Assyriis in universam Asiam late dominantibus, coram Judæis et Phœnicibus, perinde ac si non esset, reputari potest, jam præ oculis Isaiæ tanquam vastator regni assyriaci appareat : Isaias enim, qui multoties Babylonis, nondum florentis, ruinam vaticinatus est, Ninives sicut et Tyri sortem prædicere valet. — Ceterum, etiamsi Isaiæ denegetur prophetica futuri temporis notitia, mere naturalis cognitionis lumine jam prævidere poterat a Babylone satis valida, ut adversus Niniven aliquando insurgeret, jugum ejus ulterius abnuendum esse, libertatis

(1) Cf. supra p. 185, ad notam.

(2) Lenormant, *Hist. anc. de l'Orient*, tom. VI, p. 525.

(3) Omissam volo erraticam illam Ewaldi et aliorum sententiam, (cf. *Tübinger Quartalschrift*, 1875, p. 552) quæ loco « Ecce terra Chaldæorum.... » legit « Ecce terra *Chananæorum....* », et quæ nulla ratione nititur.

jura sibi vindicanda, veteremque metropolim demum eruendam, in cujus locum ipsa supponeretur. Demum, quidquid ex obsidione Tyri a Nabuchodonosor rege facta secutum sit (huic enim priorem versiculi tertii decimi partem referimus), non necessario requiritur ut in eodem bello posterioris partis versiculi effectum, id est absolutam Tyri ruinam, accidisse agnoscamus : ut enim non semel constitit, coadunat propheta, quasi si revera conjungantur, plura quæ tempore distant. Sic, præsentibus in adjunctis, Chaldæi Tyri eversores jure habentur, ut mox ex Ezechielis prophetia probabitur; ipsi tamen initium solum ruinæ fecerunt quæ anno 1003 post Christum natum peracta est (1).

LXXVI. — Sæculo quod Isaiæ ævo successit, Tyrus, aut saltem insulensis Tyrus, adhuc florebat. Ad id tempus refertur Ezechielis descriptio, quæ divitias et negotiationes ejusdem urbis extollit : « O Tyre, tu dixisti; perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum; abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris... hyacinthus et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.... Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque, repleverunt nundinas tuas.... Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gemmam, et purpuram, et scutulata et byssum et sericum et chodchod proposuerunt in mer-

(1) Cf. Knabenbauer, *In Isaiam*, in h. l., tom. I, p. 445, 446.

catu tuo.... Naves maris, principes tui in negotiatione tua; et repleta es, et glorificata nimis in corde maris... (1). »

Deus autem illam prosperam fortunam damnaverat, quæ in luxuriam vergebat; jam diu a prophetis occasus Tyri prænuntiatus fuerat his verbis : « Verum, quid mihi et vobis *Tyrus* et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum? Numquid ultionem vos reddetis mihi? Et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum, » aiebat Joel (2); nec aliter minabatur Amos : « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non convertam eum : eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, et non sint recordati fœderis fratrum. Et mittam ignem in murum Tyri et devorabit ædes ejus (3). » Interea Babylon niniviticis ruinis insurrexerat; Nechao, rex Ægypti in Charcamis (666) a rege Nabuchodonosor devictus, una die integram Syriam perdiderat, et usque ad Ægypti fines ab hostibus lacessitus fuerat.

Ineunte anno 604, Babylonem subito revocatus est Nabuchodonosor interitu patris, et Phœniciæ pepercit; nec illi magis nocuit quum annis 602 et 590 Syriam rediit ut rebelles impugnaret et Hierosolyma bis potiretur (4). Urbes Phœniciæ, imprimisque Tyrus, quæ Hierosolymam ita irridebat :

(1) Ez., xxvii, 3-25.

(2) Joel, iii, 4.

(3) Amos, i, 9-10.

(4) Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient*, tom. VI, p. 306. — Vigouroux, *La Bible et les Découvertes modernes*, tom. IV, p. 299, 300.

« Euge, confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me, implebor, deserta est (1), » omni metu vacabant eo tempore, quo Ezechiel adversus Tyrum ita acerrime invectus est : « Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super te, Tyre, et ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. Et dissipabunt muros Tyri et destruent turres ejus ; et radam pulverem ejus de ea, et dabo eam in limpidissimam petram. Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus : et erit in direptionem gentibus. Filiæ quoque ejus quæ sunt in agro, gladio interficientur : et scient quia ego Dominus. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone, regem regum, cum equis, et curribus, et equitibus, et cœtu, populoque magno.

» Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet, et circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro : et elevabit contra te clypeum. Et vineas, et arietes temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet in armatura tua. Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum; a sonitu equitum, et rotarum et curruum, movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ. Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas ; populum tuum gladio cædet, et statuæ nobiles in terram corruent.

» Vastabunt opes tuas ; diripient negotiationes tuas ; et destruent muros tuos, et domos tuas præclaras subvertent; et lapides tuos, et ligna tua, et pulverem

(1) Ez., xxvi, 2.

tuum in medio aquarum ponent; et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, et sonitus cithararum tuarum non audietur amplius... (1) »

LXXVII. — Speciatim hujus capitis XXVI prophetiam, quæ capitum XXVII et XXVIII textu perficitur, explicare nos juvaret : hæc autem ad illum pertinent qui Ezechielem ad litteram commentatur. Nostrum tamen est prophetiæ apicem in clariore luce ponere, Tyri dico obsidionem et expugnationem a Nabuchodonosor tentatam et ad effectum deductam : quod sane eo accuratius considerandum est quo acrius agitatum fuerit (2). Fatemur primo nullum dari directe testimonium de hujus impugnationis effectu. Quærendum autem remanet *A*) utrum ex ipso monumentorum silentio ad absolutam negationem concludi possit, necne ; — *B*) num, deficientibus directis argumentis, conjecturarum et veritati affinium specierum fasciculus exploratam rei notitiam non generet : quod nunc per partes declarabitur.

A) Imprimis advertendum, — hoc enim non levis momenti est, — Nabuchodonosor, unum inter summos et præcipuos Asiæ reges, a græcis romanisque scriptoribus vix nominari, immo ab Herodoto prorsus omitti. Ipse etiam, ex altera parte, ut jam advertimus, in Annalibus suis ædificiorum structuram, non

(1) Ez., xxvi, 3-13.

(2) Cf. Hengstenberg, *De rebus Tyriorum*, p. 31 sqq. — Hævernick, *Ezech.*, p. 420 sqq. — Movers, *Die Phœnizier*, II, p. 448 sqq. 461 sqq. — Tholuk, *Die Propheten*, p. 132 sqq. — Hitzig, *Jes.*, p. 273; *Ezech.*, p. 227. — Kuenen. *Histoire critique des Livres de l'Ancien Test.*, II, p. 624. — Maspero, *Hist. Anc.*, p. 503.

bellicas expeditiones, extollit (1). Sane apud Josephum invenitur (2) Philostratem et Menandrum de Tyri obsidione, per tredecim annos porrecta, egisse; nullus vero eorum de expugnatione sermonem facit.

At vero ratio propter quam Josephus de iis tacuerit, forsan ex fontium ejus origine explicatur. Declarat se Phœnicum tabularia adiisse (3), quæ, ut videtur, hujus populi cladem obnubilare studuerunt; immo, ex ipso silentio, urbis expugnatio potius concludenda est : si enim Nabuchodonosor obsidium solvisset, in monumentis suis Phœnices hoc sibi laudi vertissent. Nihil igitur adversus Biblia ex veterum historicorum silentio deducere fas est.

B) Plura e contra dantur vero similia argumenta. *a*) Hæc prophetia, hebraico canoni inserta quo tempore dubium de effectu ejus supponi nequit, traditionem eorum testatur quorum intererat veritatem cognoscere. — *b*) Josephus, ex supra citato Menandri fragmento, regum Tyri seriem a Nabuchodonosor ad Cyrum evolvit. Apparet eo tempore destructa regia potestas, in cujus vicem perturbatus substituitur

(1) Cuneiformes inscriptiones nihil narrant de Nabuchodonosor expeditionibus adversus Tyrum et Judæam. — Attamen, ante paucos annos, in septentrionali ripa fluminis Nahr el-Kelb, supra Berytum, inventum est aliquod notandum documentum : scopulis, qui veterem viam a Damasco ad littus ducentem finiunt et inter quorum parietes intermeat flumen, insculpuntur nomina et effigies veterum Asiæ domitorum, tum ægyptiacorum, tum assyriacorum. Inter hujusmodi monumenta jam diu cognita nemo suspicabatur Nabuchodonosor inscriptionem, arboribus et filicibus obtectam, quæ recentius fortuna reperta est. Tempestatum et annorum vi trita, nihil de bellis adversus Syriam et Hierosolymam reliquit quod legi posset : imprimis dignoscitur. Libanorum vinorum series, inter quæ eminet vinum Helbon, circa Damascum (Ez. XXVII, 18). — Cf. SAYCE, *Fresh light from the Ancient Monuments*, p. 140.

(2) *Antiq. Jud.*, X, 11. § 1; *C. Appion.*, I, 21.

(3) *Contra Appion.*, I, 20.

status : regnat Ecnabalus, Baalachi filius, duobus mensibus; Chelbas, Abdæi filius, decem mensibus; summus sacerdos quidam, tribus mensibus; duo judices, sex annis; rex quidam, uno anno; demum duos externos reges ipsi Tyrii a Babylone arcessunt. Exinde concluditur pristinam ita eversam fuisse potestatem ut Tyrii Chaldæis subdantur, utpote qui ceterum sese ulterius agnoverint clientes Persarum, in totum babylonicum imperium succedentium. — *c*) Megasthenis fragmentum a Josepho asservatum (1) narrat Nabuchodonosor, Babyloniæ regem, usque ad Herculis columnas victricibus armis processisse; nemo autem, præter Tyri dominum, potestatem affirmare poterat in colonias quæ usque ad Gabes extendebantur (2).

Objicitur tamen ipsius Ezechielis quidam textus, tanquam si expugnationem Tyri denegaret : « Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum; omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est; et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti; et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus; et erit merces exercitui illius, et operi quo servivit adversus eam, dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus (3). » A priori, etiamsi Ezechielem velut

(1) *Contra Appion.*, I, 20.
(2) Le Hir, *Études bibliques*, I, p. 32.
(3) Ez., xxix, 18-20.

mere humanum scriptorem judicaremus, prorsus veritati absonum esset eum hinc et illinc duobus contradictoriis assertis adhæsisse.

Requirenda est ergo alia interpretatio ejusdem textus : α) Assentiri non repugnat huic hieronymianæ explicationi : si Deus Nabuchodonosor thesauros Ægypti tribuit ut hoc dono labores ante Phœnicum insulam toleratos remuneret, ratio exinde petitur quod Tyrii, destructis mœnibus, in naves conscendentes ita fugerunt ut divitias suas alio portare hostibusque mercedem ex longissima obsidione speratam adimere valuerint (1). — β) Alia etiam præsto est explanatio : potuit urbs seipsam ultro dedere et direptionis immanitatem vitare; tunc obsidio et expugnatio uno tenore laborem Nabuchodonosor constituerunt, Ægypti autem occupatio mercedem (2). — γ) Ne quis tamen credat hujusmodi deditionem, quæ rebus et personis aliquatenus pepercisset, cum Ezechielis textu (3) non congruere. Propheta enim ultra Nabuchodonosor victoriam, supernaturali intuitu ruinam contemplatur tunc incœptam, posterius vero, peractis Cruciatorum bellis, a Mahumetanis peragendam (4).

(1) « Nabuchodonosor cum oppugnaret Tyrum, et arietes, machinas, vineasque, eo quod cincta esset mari, muris non posset adjungere, infinitam exercitus multitudinem jussit saxa et aggeres comportare, et expleto medio mari, imo freto angustissimo, vicinum littus insulæ fecit continuum; quod cum viderent Tyrii jam jamque perfectum, et percussione arietum murorum fundamenta quaterentur, quidquid pretiosum in auro, argento, vestibusque et varia supellectili nobilitas habuit, impositum navibus, ad insulas asportavit : ita ut capta urbe, nihil dignum labore suo inveniret Nabuchodonosor. » S. Hieron, *in h. l.*

(2) Movers, *Die Phœnizier*, II. p. 431, 450.

(3) Kuenen, *Histoire critique des Livres de l'Ancien Testament*, tom. II, p. 625.

(4) « Je ne pense pas qu'aucune grande ville ayant joué pendant des siècles un rôle de premier ordre ait laissé moins de traces que Tyr.

Sane, post septuaginta regnantis Nabuchodonosor annos, teste Isaia (1), libertatem recuperabit Tyrus et jubilare poterit : duplex autem, tum Ezechielis, tum Isaiæ, prophetia sensim sine sensu adimpletur. Phœnicum enim urbis dominium, nemine reluctante, a Chaldæis transfertur ad Persas, quorum fortunam exinde sequetur : Tyrum expugnat Evagoras; Alexander machinas ad muros isthmo, ut diximus, arte facto admovet, urbemque post septem mensium obsidionem capit, octo Tyriorum millia interea occidit, duo millia dehinc suspendit, tria millia in servitutem redigit (2). Etsi ulterius nonnulla Tyro prosperius cesserint, ita ut Hieronymus eam « Phœnices nobilissimam et pulcherrimam civitatem » (3) dixerit, ad ruinam in dies inclinavit, donec Damasci et Ægypti sultanus eam a Christianorum manibus anno 1291 eripuerit (4). Eam exinde non surrexisse testantur viatores (5); hinc quolibet modo corruerit Tyrus,

Ezéchiel fut prophète le jour où il dit de Sour : « On te chercheras et tu ne seras plus. » (Ez., XXVI, 21). Un voyageur qui ne serait pas averti traverserait, sans contredit, l'espace qui s'étend de la Kasmie à Ras-el-Aïn sans se douter qu'il côtoie une ville ancienne.... Des aqueducs, une basilique chrétienne, quelques colonnes hors de leur place, voilà tout ce qui reste de l'une des métropoles les plus peuplées de l'antiquité.... La terrible destruction qui suivit le dernier assaut des Sarrasins en fit un monceau de pierres, d'où les localités plus favorisées, Saïda, Saint-Jean d'Acre, tirèrent des matériaux pour leurs bâtiments. Le chétif mouvement de renaissance qui s'y fait sentir depuis une centaine d'années n'a fait qu'effacer encore sous de mesquines constructions le souvenir de la vieille cité. » RENAN, *Mission de Phénicie,* p. 529.

(1) Is., XXIII, 15.

(2) DURUY, *Histoire des Grecs,* II, p. 313, 314. — RAWLINSON, *History of Phœnicia,* p. 506 sqq.

(3) S. HIERON., *Comment.* in Ez., XVI.

(4) *Liber secretorum fidelium Crucis,* lib. III, cap. 22, apud *Gesta Dei per Francos.*

(5) De integra Tyri historia, cf. SMITH, *Dictionary,* ad verbum : *Tyre.* — « 25 Juin 1890.... Le ciel est bien beau, avec ses étoiles aux feux de diamants L'air est assez pur sur la terrasse des bons Pères Franciscains. Mais

certe vera fuit Ezechielis prophetia : « In nihilum redigam te, et non eris; et requisita non invenieris in sempiternum, dicit Dominus Deus (1). »

tout autour, malgré l'illumination des mosquées et des minarets, quelle désolation! On se sent le cœur serré rien qu'à passer sous cette porte en ruine et à voir cette garde déguenillée qui ne résisterait même pas sept heures aux efforts du plus petit Alexandre. Est-ce donc là tout ce qui reste de la reine des mers! Quel commentaire frappant de la prophétie d'Ézéchiel, et combien avec lui je répète : Quomodo periisti, quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis quos formidabant universi! » *Journal de voyage.*

(1) Ez., xxvi, 21.

EPILOGUS

In hoc brevi et imperfecto elencho summarium habes præcipuorum **Onerum contra Gentes,** *et monumentorum recentius inventorum quibus verba, Dei nomine et auctoritate prolata, absoluta fuisse constat.*

Ne quis tamen nos quasi in enumerandis Gentibus imperfectos vituperet, prophetiasque contra varias natiunculas circa Palæstinam fusas desideret, observandum est illas consulto omissas fuisse. Primum enim fere nullius momenti erga israeliticam fortunam fuerunt, præsertim si cum summis et validissimis quæ retulimus imperiis conferantur. Dehinc, minor etiam fit earum gentium notitia quam quæ anaglyptis, inscriptionibus, ceterisque genuinis documentis plane illustrata sit. Unde

integrum opus vix sufficeret ut obscurissima quæque, ad insulsum etiam fructum, caligando perquirerentur.

Ceterum argumenta satis valida, quod nobis saltem videtur, præstitimus, ut appareat nostris temporibus confirmare biblicas prophetias Ille qui lapides e ruinis, ad apologeticum documentum efformandum, in dies Providentia Sua eruit, « multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis (Hebr., I, 1). »

INDICES

A.

INDEX RERUM

B.

INDEX IMAGINUM

Insulis. Typis A. Taffin-Lefort. MDCCCXCIII.

THESES XX SUBNEXÆ

quas Carolus ROHART

oretenus propugnabit

Insulis

Anno MDCCCXCIII, die XXII Julii.

I

Auctor Scripturæ Sacræ *primarius* Deus est, *secundarius* vero homo *inspiratus* secundum duplicem gradum *revelationis* et *assistentiæ.*

II

Κανονικοί, seu κανονιζόμενοι, vocantur, non omnes libri qui olim in publicis Christianorum cœtibus legebantur, divini vel non, sed libri tantum divinitus inspirati et tales ab Ecclesia declarati.

III

Sacras Litteras authentice explicare spectat ad Ecclesiam docentem, sive dispersam, sive congregatam, maxime autem ad Summum Magistrum fidei.

IV

Vulgata versio a Tridentina Synodo *authentica* declarata est, eo præsertim sensu quod tanquam *magistralis* in usu publico Ecclesiæ sive liturgico. sive doctrinali, usurpanda sit.

V

Hebraicus prophetismus essentialiter a divinatione Gentilium discrepat.

VI

Non solum futurorum eventuum nuntii erant prophetæ, sed etiam divinæ voluntatis interpretes et doctores.

VII

Extraordinarium et temporaneum, non vero hæreditarium ac continuum, erat propheticum munus.

VIII

Quia prophetæ res futuras absque temporum distinctione, ac veluti uno simul intuitu, prævident, uno quoque et eodem vaticinio eventus realiter inter se temporibus dissitos haud raro coadunant.

IX

Authenticitas secundæ partis Isaiæ argumentis tum externis, tum internis, probatur.

X

Nullimode tenenda est sententia, quæ librum Tobiæ græce primitus conscriptum fuisse asserit.

XI

Historiam Judith ante exsilium babylonicum et circa tempora regis Manasses verisimiliter contigisse assetur.

XII

Integra Estheris historia, qualis hebraicis et græcis textibus exstat, vera est.

XIII

Nihil aptius erat nomine יהוה ad asserendum contra varios antiquitatis errores infinitam Dei essentiam ejusque absolutam identitatem cum existentia divinisque omnibus perfectionibus.

XIV

Character personalis simulque relativus Verbi Divini optime ostenditur primis Evangelii Joannis versiculis, et nominatim formula πρὸς τὸν Θεόν.

XV

« Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in Ipso vita erat. » (JOANN. I, 3, 4.)

XVI

Ex originali textu Gen. XIII, 15, non minus quam ex versione Vulgata theologice deducitur immaculatus Virginis Deiparæ conceptus.

XVII

Ex verbis promissionis Joan. VI, 48 sqq., demonstratur D. N. Jesu Christi corpus et sanguinem vere, realiter et substantialiter, sub speciebus eucharisticis contineri.

XVIII

Dogma fidei, attribuens conjugio christianorum realitatem et dignitatem sacramentalem, non quidem expresse enuntiatur verbis Apostoli : « Sacramentum hoc magnum est » (Eph., V, 32), sed ex contextu hujusce formulæ non obscure deducitur.

XIX

Sub ipso mundi exordio, dogma libertatis humanæ et officium subdendi passiones conscientiæ rationali solemniter primo homicidæ intimantur : « Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. » (Gen., IV, 7).

XX

Fides optime a Paulo describitur (Heb., XI, 1) tanquam nobis exhibens (ὑπόστασις) bona quæ sperantur et tanquam argumentum (ἔλεγχος), utique supernaturale, veritatum rationi non apparentium.